3

# DIRECTORIVM VISITATORVM, AC VISITANDORVM

## CVM PRAXI, ET FORMVLA GENERALIS VISITATIONIS

*Omnium, & quaruncumque Eccleſiarum Monaſteriorum, Regularium, Monialium, piorum locorum, & perſonarum.*

AVCTORE R. P. D. LVCA ANT: RESTA MESSAPIENSE EPISCOPO ANDRIEN.

Laudatur hoc Directorium a Gavanto in Praxi Compendiaria visitationis Episcopalis, tit. de visitatione in genere: ubi p. 355. et Index librorum, quorum lectione iuvari pot. Epus in visitatione.



SVPERIORVM PERMISSV.
Ac cum Priuilegio.

ROMÆ, Extypographia Guielmi Facciotti.
M. D. XCIII.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

# CLEMENS PAPA VIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.
Cum ſicut accepimus. Venerabilis Frater Lucas Antonius Re-
ſta Epiſcopus Andrienſis opus nuncupatum Directorium Viſita-
torum, & Viſitandorum per decemnium non ſine magnis vigilijs
compoſuerit, & ad publicam vtilitatem in lucem ędere intendat.
Nos eundem Lucam Antonium Epiſcopum ſpecialibus fauori-
bus, & gratijs proſequi volentes, ſupplicationibusq. pro parte di-
cti Lucæ Antonij Epiſcopi nobis deſuper humiliter porrectis in-
clinati, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus perſonis præſertim Bibliopolis, & librorum
Impreſſoribus tam in Vrbe quàm Reliquis Terris S. Rom. Eccl. mediatè, vel immediatè
ſubiectis in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub quingentorum ducatorum auri Cameræ
Apoſtolicæ applican. & inſuper amiſſionis librorum pęnis toties ipſo facto, & abſque
vlla declaratione incurren. quoties contrafactum fuerit ne durante decennio proximo
à die Impreſſionis operis huiuſmodi computando ſine expreſſa dicti Lucæ Antonii Epi
ſcopi voluntate, & licentia imprimere, ſeu ab ipſis, vel alijs præterquã de eius vt præfer
tur voluntate quæ ex litteris ipſius Lucæ Antonii Epiſcopi manu propria ſubſcriptis cõ-
ſtare debeant imprimere, vendere, ſeu venale habere aut proponere, vel illius exem-
plaria etiam manu ſcripta audeant, ſeu præſumant, etiam ſub quacumque conditione,
vel quouis prætextu præſtita, vel mutuata ab alio quam ab ipſo Luca Antonio Epiſcopo
Apoſtolica auctoritate tenore præſentium diſtrictius inhibemus. Mandantes vni-
uerſis Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, eorũq. Vicarijs, ſeu Offi-
cialibus in Spiritualibus Generalibus, ac ipſius Almæ Vrbis, & Status Eccleſiaſtici hu-
iuſmodi Gubernatorib. vt quoties pro parte dicti Lucæ Antonii Epiſcopi fuerint requi-
ſiti vel eorum aliquis fuerit requiſitus eidem Lucæ Antonio Epiſcopo in præmiſſis effi-
cacis defenſionis præſidio aſſiſten. præmiſſa ad omnem illius requiſitionem in noſtris,
& Sedis Apoſtolicæ Terris mediatè, vel immediatè ſubiectis contra inobedientes, &
rebelles per cen. Eccleſiaſticas etiam illas ſepius aggrauan. & per alia iuris remedia di-
cta auctoritate exequantur inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio bracchi ſecula-
ris, irritumq. & inane ſi ſecus ſuper his à quoque quauis auctoritate ſcienter vel igno-
ranter contigerit attentari decernimus non obſtan. conſtitutionibus, & ordinationibus
Apoſtolicis Prouincialibusq. & ſinodalibus ſpecialibus, & Generalibus nec non etiam
Iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & cõ-
ſuetudinibus Priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcumque te-
no. & formis etiam Motu Proprio vel aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis.
Quibus omnibus etiam ſi de illis eorum ten. ac ſi de verbo ad verbum inſererentur per
præſentibus pro ſuffic. expreſſi haben. hac vice dũtaxat ſpecialiter, & expreſsè legitime
derogamus, cæteriſq. cõtrariis quibuſcumque. Volumus autem quod præſentium tran-
ſumptis etiam impreſſis, ac manu alicuius Notarii publici, vel perſonæ in dig. Eccleſia-
ſtica conſtitute ſubſcriptis aut Sigillo munitis eadem prorſus fides adhibeat. quæ ipſis
originalibus adhiberet. ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ quodque vim validæ, & efficacis
obtineant inhibitionis, & mandati. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Anulo Piſcato-
ris die 3. Martij 1593. Pont. noſtri. Anno ſecundo.

M. Veſtrius Barbianus.

# SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO D. CLEMENTI VIII. PONT. OPT. MAX.

## *LVCAS ANTONIVS RESTA* EPISCOPVS ANDRIENSIS.

In iſta mira gubernandi vigilantia perpetuam perſeuerantiam, & felicitatem.

SOLENT *egregÿ Pictores, Pater Beatiſsime, ſi quando aliquid ab oculis remotius effingere volũt, illud colorum varietate exornant, quò illuſtrius appareat, neque ſpectantium oculos fallat tantum, ſed inſignem induſtriam, artiſque præſtantiam oſtendat. Hos ego imitatus, cum aſsiduo ſtudio, ac longo rerum vſu Viſitationis præcepta collegerim, & in vnum veluti corpus congeſta in lucem ædere pro communi omnium vtilitate ſtatuerim; quod plerique omnes in ſuorum librorum nuncupationibus obſeruare ſolent vt Principis alicuius viri ſibi patrocinium comparent, id ipſum etiam mihi, quò meis hiſce lucubrationibus tantum ſplendoris, ac dignitatis*

*gnitatis*

*gnitatis accederet quantum nec exoptari, nec mente maius concipi poſſit, faciendum propoſui. Quocirca te ſupremum Regum, ac Chriſtiani orbis moderatorem in Patronum cui hæc dicarem, omnium quotquot ſunt ſine controuerſia maximum eligere volui. Idque eò libentius à me factum eſt, quantò in te maiorem ardorem in viſitandis Eccleſiis adſpicio. Quem enim mihi ne dicam Mæcenatem, ſed Auguſtum contra maleuolorum tela, quorum ſtudium in hoc potiſſimum conſiſtit, vt omnibus detrahant, omnia carpant, ac nihil omninò comprobent, niſi tè vnum mihi diuinitus oblatum exoptaſſem cuius ope erigerer, gratia fouerer, ac ſumma denique auctoritate protegerer? Huc accedit incredibilis illa tua, ac penè diuina benignitas omnibus ſpectata, atque admirabilis virtus, quam altiſſima animi magnitudo, cæleſtis ſapientia, ac in rebus agendis prudentia ſingularis: Qua ſumma virtutum coniunctione, vt alias, quæ innumeræ ſunt, prætermittam, te omnes, qui turbulentiſſimis hiſce, atque extremis penè temporibus opem feras, diuino conſilio, quaſi quoddam de cœlo repentè delapſum numen, & iure quidem, arbitrantur; ac propterea vniuerſus Chriſtianus orbis ingenti gaudio perfunditur, quòd tantum Principem nactus, tranquillam ſe vitam ducere poſſe, aureaque illa ſæcula priſcis decantata temporibus iam aduenіſ-*

*ſe confidat. Quarum ego laudum magnitudine commotus, vt me quam maximè prædicationibus hiſce delectari teſtatum relinquerem, & Sanctitatis tuæ ſtudioſiſsimum me eſſe demoſtrarem, opuſculum hoc in quo Viſitationis peragendæ praxim paucis expoſui, tibi dicandum curaui. Suſcipe igitur hilari, ac leta fronte munuſculum hoc, exiguum quidem, ſi ipſum per ſe ſpectemus, ſed ſi largientis animus attendatur; magnum nec fortaſſe etiam inutile: Multa enim continet, quæ nec vulgò nota ſunt, & Viſitatoribus Epiſcopis præſertim Tyronibus, qui nunquàm aliàs viſitationis ſanctæ onus ſubiere, plurimum fructus allatura. Nam quicquid viginti nouem annorum ſpatio quibus diuerſas Eccleſias rexi, vel legendo, vel agendo obſernare potui, id omne in vnum hoc opus contuli, idque non alia de cauſa, niſi, vt arduum, & immenſum hoc Viſitationis onus, quod Epiſcopis incumbit, aliqua in parte leuarem, ac facilius redderē. Quicquid autem vtilitatis ex his lucubrationibus, vel Viſitatores, vel ij, qui viſitandi erunt, percipient, id totum tibi acceptum referant, cui poſt ſanctorum Pedum deoſculationem, me, meaque omnia quàm poſſum humillimè commendo.*

*FABRI-*

# FABRITIVS RESTA V. I. D. MESAPIENSIS,

*ILLVSTRIS. & REVERENDISS. D. Lucæ Antonij Reſtæ Epiſcopi Andrienſis huius operis auctoris, ex Fratre Nepos.*

## CANDIDO LECTORI.

QVI ſcientias, arteſque primi adinuenere, multa hi quidem ſunt digni laude, quippè qui oprimè de humani generis ſocietate meriti fuerint, ac ſuis inuentis hominum vitam aut iuuerint, aut certè ornarint, cultioremque reddiderint; Sed non minorem laudem ij quoque mihi promeruiſſe videntur, qui ea, quæ ab alijs inuenta fuere, literarum monumentis commendarunt: vt ſcilicet hac ratione, & iſtorum nomina æternitate donarent, ac poſterorum

vtilitati conſulerent; ád quos procul dubio nihil eorum perueniſſet, niſi ſcriptorum induſtria, ſolertiaque factum eſſet, vt quæ ab antiquis, vel inuenta ſubtiliter, vel preclarè acta fuere, literis, veluti æternis quibuſdam monimentis expreſſa vſque ad hæc noſtra tempora perpetua quadam ſerie deducerentur, nobiſque innoteſcerent. Quis enim Græcorum inuenta noſſet, à quibus ſcientiæ omnes, ac liberales diſciplinæ emanarunt, niſi ſcriptores extitiſſent, qui ea ab iniuris temporis omnia conſumentis, ac corrodentis vindicaſſent? Cui Romanorum, aut exterarum, ac barbararum gentium geſta cognita eſſent, niſi literis expreſſa legerentur? Non ne vnà cum iis eorum quoque memoria, ac gloria perijſſet? Sed, vt hæc veluti parua omittam, & ad maiora tranſcendam, quis mundi originem, in qua tàm pueriliter Philoſophi errarunt, quis bene, beatèque viuendi rationem, quis diuina præcepta, ac diuiui cultus rationem exactè tenere poſſet, niſi omnia in ſacris literis deſcripta nobis innotuiſſent? proptereaque ſcriptoribus magnam eſſe habendam gratiam nemo negarit, quippè qui ſuis laboribus, & vigilijs, noſtræ, ac omnium vtilitati conſultum eſſe voluerunt, ac præclara aliorum inuenta, geſtaque nobis inſinuarunt. Quæ cum ita ſint, cum nemo hucuſque, quod ſciam, Sanctæ Viſitationis praxim Eccleſiæ Dei ne dicam valde fructuoſam, ſed apprimè etiam neceſſariam, quam Sancti Patres innumeris laudibus celebrarunt, nobiſque frequentiſſima admonitione commendarunt, & vniuerſalium Conciliorum auctoritas, atqne decreta firmarunt, publicis li-

** tera-

terarum monumentis tradiderit, quas gratias ne dicam referre, ſed nec etiam agere, vel habere poſſumus Illuſtri admodum, ac Reuerendiſſimo Patri Domino Lucæ Antonio Reſtæ Andrienſi digniſſimo Epiſcopo, cui primum hoc in mentem venit, vt onus tàm arduum, tàm vtile, ac penè humanis humeris impar aggrederetur? Cœpit à principio vir inſignis, & ad publicam natus vtilitatem, cogitare, ſi quod in ea re auxilium poſteris ipſe præſtare poſſet, ſed operis magnitudine deterrebatur. Poſtea id ipſum ſæpius animo voluens, quò grauius videbatur onus, eò ad illud ſubſtinendum maiori cupiditate inflammabatur. Solent enim inuicti animi milites, quò plura in expugnandis Vrbibus pericula inſtant, eò vehementiori conatu illarum obſidionem aggredi, neque à bello, niſi victoriam obtinuerint, diſiſtere. Qua de cauſa cum hanc animi ſui propenſionem poſtea grauiſſimis viris patefeciſſet, adeò ipſorum auctoritate, & exhortationibus fuit confirmatus, vt nullam moram ab opere inchoando interponendam duxerit. Inchoauit, aggreſſus eſt, perfecit omnia Viſitationis peragendæ hinc inde collecta ad praxim accomodauit, ac multis tandem laboribus, ſudoribuſque perfunctus abſoluit. Quod cum ab ijs, qui tùm Romæ, tùm alijs in locis rei huius notitiam habuerunt (fuerunt autem, plurimi) ſummopere laudari, & probari (& iure quidē ſuo) intelligeret; committendum non putauit, vt quod ad communem vſum collegerat, apud ſe perpetuo latitaret, ſed omnibus numeris perfectum, atque abſolutum opus typis mandandum decreuit. Qua in re quàm pru-

denter

denter ſe geſſerint, quis non animaduertat, cum ex ipſo opere tanta promanent commoda? Nam (vt alia prætermittã) Ego illius hiſce præceptis (habebam enim ea ante oculos manu conſcripta) multarum Ciuitatum, & nobilium Diœceſium iàm adoleſcens, viſitationem perfeci, idq; vniuerſum hiſce ſcriptis, ac diſciplinæ Patrui mei Ampliſſimi viri, ac prudentiſſimi Antiſtitis didici, eique omnia bona mea refero. Eia igitur, Candide Lector, lucubrationes iſtas, quas tibi Præſul Optimus largitur, alacriter perlege; nã quæ ipſe diuturno ſtudio, aſſiduaque exercitatione hinc inde ſibi comparauit, nunc omnia in publicum exponit, tibique libenti animo gratis communicat, & vnius libelli lectione percipienda offert. Neque te importuna quorundam dicta permoueant, qui veluti Momi quidam, cum ipſi per inertiam viuant, ac nihil vmquàm vtilitatis hominibus afferant, alienis tamen laboribus detrahunt, & nodum (vt aiunt) in ſcyrpo quærunt. Quocirca illud te monitum velim, Auctorem noſtrum in hoc opere compilando rerum potius, de quibus agebatur, quàm verborum rationem habuiſſe, nec in eligendis latinis vocibus elegantioribus multum operis poſuiſſe, ſed orationem, ac ſtylum ad omnium captum accommodaſſe: quin etiam craſſioribus aliquando vocibus vſum fuiſſe, vel quòd ita res ipſa poſtulauerit, vel quòd, ſi elegantiæ Latini ſermonis rationem habere voluiſſet, rem potius ipſam obſcuriorem reddidiſſet, quàm ei lucis aliquid, ac decoris attuliſſet. Hoc volui neſcius ne eſſes, ne poſtea criminarere. Vale, atque ſic habeas, pium hunc Auctorem no-

ſtrum , ſi ſenſerit hoc ſuum laborem aliquid tibi ( quod pro certo habet ) vtilitatis attuliſſe , maiora ſe in poſterum curaturum , cum nihil antiquius ducat , quàm , vt omnem induſtriam , opes , auxilium , ingenium , vires, ſua denique omnia ad tuam conferat vtilitatem .

---

## *D. IOSEPHI TATOI ANDRIENSIS*

### *DECASTICON.*

### Ad Lectorem.

QVID quæris Lector cupidus voluendo libellos?
Forſan quid breuiter continet iſte liber?
Auctorem noſcas; Lucas Antonius ecce
Reſta tibi donat munera rara ſua.
Inuenies aurum ſolum, gemmasq. nitentes,
Et quidquid cunctis vtile adeſſe poteſt.
Eccleſiæ cultus quo debent Ordine, Sacri
Vt Canones fieri, ritè iubendo, volunt.
Ergo ne pigeat tantum ſumpſiſſe laborem,
Siq. leges crebro, maxima lucra feres.

*PRÆSBI-*

*PRÆSBITER FRANCISCVS RITIVS*

*MESAPIENSIS.*

Ad Lectorem.

SAcris hiſce ſtudet dùm chartis paſcere lucas
Bonus, peritus, impiger,
Sacrarum cuſtos ouiũ, pecudumq; Magiſter,
Et Patriæ decus inclytum,
Appula quem colit,& nunc peucetia Andria ſeruat,
Mentes piorum altaribus
Addictas, diuinos cultus, dogmata ſancta
Diſtincta monſtrat ordine
Miro; paſtores ſua quemque ad munera ſacros,
Diuina ſors quæ pręſtitit,
Aduocat, & ita nunc tibi miſſa negotia curat,
Templum Dei ſanctiſſimum
Colluſtrat, fruges flammarum, tum ordine longo
Ineſt quibuſque maximus
Rex Deus humanos indutus corporis artus
Vtroque flexo poplite
Supplex intuitur ſacras,veneratur,adorat,
Fontemque feliciſſimis
Qui alluit vndis conceptus ab origine prima
Labes, recludit arculam,
Sancto quæ ſeruat, conformat, roborat, atque
Cunctos oliuo; & vrceos,
Acerram ex auro veſtes, & vaſcula condum
Seruare mandat, lampades
Perpetuo accendi vulcano, & thura ſacellis
Cremari, & quàm plurima
Præcipit aulæis ornare, oſtroq; ſuperbo
Marmora, choroq; cantarier

Dulciter

Dulciter hymnos, rectè diuinam fieri rem
Ab omnibus; caſtos vti,
Atque pios decet vnctos, ſanctoſq; Miniſtros;
Sed hinc repellit ſanguine
Fœdatas palmas, ſcorto, turpiq; rapina,
Hinc ebrios, hinc ſordidos,
Ignaros, Sanctarum Chriſti denique legum
Rudeis; prorſus pectora
Tùm purgat vitijs, & ritus damnat iniquos,
Dignaſque pœnas improbis
Statuit; infandas artes, & ſacra Deorum
Nefaſta Bacchi dimouet
Orgia, clamores turpeis, cantuſq; profanos:
Deſpecta Iura vindicat
Sacrorum, ſæuus polluta denique ſancta
Pictas tabellas Cælitum
Fœdas, ſignaq; fracta, & diruta templa Deorum
Nouat, paratque, & adijcit
Multaq; præterea, quę iam ſcripſere priores
Heroes illi, lumina
Eccleſiæ, proceres caſti, ſummiq; Miniſtri
Sancto repleti ſpiritu.
Candide Lector, quiſquis es, ergo fronte ſerena
Oblata dona ſuſcipe,
Atque æquius lege, perlege ſemper; namq; legendo
Fies ſacerdos optimus,
Et cuſtos dignus gregis, qui præſis ouili
Cœleſtium ſanctiſſimi.

PRÆFA-

# PRAEFATIO.

TRACTATVM hunc noſtrum de Viſitatione duabus partibus principalibus abſoluimus, in quarum prima de generali Eccleſiæ Cathedralis, ac aliarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, ac piorum quorumcumque locorum in Ciuitate exiſtentium viſitatione tractamus, omnia ſigillatim adnotantes, quæ quouis modo huiuſmodi Cathedralis, ac reliquarum Eccleſiarum Viſitationi accommodata ſunt, aut quauis ratione ad illam pertinent. Interrogationes etiam quaſdam ſingulis rebus viſitandis aptas adiunximus, quibus Viſitatio à quolibet mediocriter erudito nullo negotio peragi poterit: atque hæc omnia ita ad praxim redegimus, vt tam Viſitatoribus, quàm ijs, qui viſitandi ſunt, mirum in modum inſeruiant. Idem etiam præſtitimus in Monaſteriorum viſitatione, in qua docuimus, non ſolùm qua ratione ſint viſitanda, ſed etiam regenda, gubernandaq; Monaſteria monialium, prætereaq; de particulari eorum viſitatione adnotatur. Conſtitutiones etiam quaſdã inſeruimus, quas monialibus Sancti Benedicti, cum nouũ illarum Monaſterium in Ciuitate Andriẽſi inſtitutum ſit, inuiolabiliter obſeruandas præſcripſimus, quę Viſitatoribus non inutilia erunt; ſi quando, pro huiuſmodi Monaſteriorum bono regimine, aliquid in Viſitatione decernendum, conſtituendumve erit. In ſecuuda autem parte de Diœceſis Viſitatione diſſeruimus, ac formam praximque quomodo Diœceſis ſit viſitanda, præſcripſimus; habita interim locorum, temporum, ac rei ipſius ratione: qua quidem viſitandi forma, & praxi viſitator vti poterit, niſi eam malit ſequi methodum, quam in priori parte tradidimus. Adiunximus etiam rationem, & formam viſitandi

varia,

varia, & diuerſa hominum genera, cum ſolutione, ac declaratione multarum dubitationum, quæ in illa occurrere poſſent. Si quid autem occurret, quod non ita plenè in prima parte tractatum fuerit, plenior illius cognitio ex ſecunda parte petenda erit, ac contra, ſi quid in ſecunda parte deſiderari contigerit, id vberius, ac plenius diſcuſſum in prima parte reperietur: ita enim omnia digeſta ſunt, vt ſibi inuicem inſeruiant, ac ordine quodam ſibi mutuò correſpondeant; quod eo conſilio factum eſt, vt intelligant omnes vnum eſſe debere Viſitationis ſanctę ſcopum; vt ſcilicet vitia tollat, virtutes corroboret, diuinum cultum augeat, ac quidquid abuſus, vel ſuperſtitionis irrepſerit in Eccleſiam Dei, radicitus extirpet, & euellat. Quę omnia, & plura etiam, librum ipſum legendo, reperire quiuis poterit. Nos enim contenti hęc pauca veluti capita quędam principalia attigiſſe, ne tempus fruſtra teramus, ad rem ipſam pertractandam iam accedamus, hinc exordium ſumentes.

# DIRECTORII VISITATORVM, AC VISITANDORVM,

*Cum Formula, ac Praxi Generalis Viſitationis, Reuerendiſſimi Patris*

*D. LVCÆ ANTONII RESTÆ, Epiſcopi Andrienſis,*

## PARS PRIMA.

## In qua tractatur

De Viſitatione Eccleſiæ Cathedralis, & aliarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, piorumq. locorum, ac perſonarum omnium in Ciuitate exiſtentium.

---

### *Viſitationis onus cui potiſsimum incumbat; quantumq. eius auctoritas extendatur, ac facultas; & quanto temporis interuallo ſit innouanda. Cap. I.*

SATIS conſtat, clarumq. ac perſpicuum apud omnes eſt, Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores,[a] ac ſuarum Eccleſiarũ ſponſos, eſſe à Spiritu Sancto poſitos ad regẽdam, ac gubernandã Sanctam Ieſu Chriſti Eccleſiam, quam proprio ſanguine, & acquiſiuit, & ſanctificauit; eamq. ipſi tueri, ac defendere debent, non ſolum ab hoſtibus viſibilibus, qui corporeis oculis conſpiciuntur, ac ab omni exteriori damno immunem prorſus reddere, ac conſeruare; ſed multo magis illis in eo elaborandum eſt, vt

a Cõc. Trid. ſeſſ.23.c.4.

commiſſum ſibi gregem interna animi imminentia pericula cauere, ac inuiſibiles, atque ob id horribiliores hoſtes. i. dæmones propulſare, ac fugare doceant, qui omnibus ſuis artibus Chriſti oues perimere, ac doloſe ad æterna ſupplicia perducere conantur, ſanctamq. Ieſu Chriſti Eccleſiam, omni ſuo ſtudio, & conatu labefactare ſtudent. Ad quorum reprimendam audaciam, & infringendos conatus Epiſcopi Diuina prouidentia poſiti ſunt, qui tamquã vigilantes Paſtores gregem Domini cuſtodirent, ac truculentam ſæuiſſimorum luporum, id eſt dæmonum rabiem longius ab eo propulſarent, quo facilius Chriſti oues, quas proprio ſanguine redemit, ſub fideli illorum cuſtodia tutiorem vitam viuere poſſent. Quemadmodum igitur Paſtores ſæpius gregem ſuum inuiſunt, luſtrant, numerant, ne quid eorum incuria pereat; ita Epiſcopi nulla ratione facilius commiſſi ſibi gregis ſaluti, ac incolumitati conſulent, quàm ſi ſæpius eum inuiſant, ac luſtrent, ac quicquid mali furtim dæmonum arte irrepſerit, radicitus extirpandum curauerint.

Ex quibus omnibus perſpicuum, clarumq. relinquitur, Epiſcopis præcipue Viſitationis onus incumbere. Ita enim & [a] S. Patres communi conſenſu ſtatuerunt, & Conciliorum auctoritas confirmauit. itaq. hanc viſitationem per ſe ipſos perſonaliter obire tenentur, niſi legitimo aliquo impedimento detineantur, quo minus id præſtare poſſint; debentq. non ſolum omnes Eccleſias, & Monaſteria, ſed & alia loca ſacra, quæ in ſua Diœc. erunt, & ſibi ſubiecta viſitare: quæ quidem facultas Epiſcopis tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis à Sacro ſancto Trid. Conc. [b] tribuitur. Tenentur pariter Epiſcopi Hoſpitalia, Confraternitates, & collegia laicorum, non obſtante quauis exemptione, & immunitate, viſitare: idq. tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati præſtare poſſunt. quæ facultas etiam extenditur ad Eccleſias, quæ nullius Diœc. ſunt, vt ſacri Concilij Trid. decreto [c] ſancitum eſt. quod tamen ita intelligendum erit, vt ſcilicet illarum Eccleſiarum viſitatio, quæ nullius ſunt Diœc. ad viciniorem ſpectet Epiſcopum; Monaſteria identidem monialium, quę immediate Sedi Apoſtolicæ ſunt ſubiecta, ab Ordinarijs ſuis, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, viſitari, moderari, ac gubernari debent. quod aperte eiuſdem Concilij Triden. auctoritate [d] confirmatum eſt. Tenentur etiam Epiſcopi loca, & perſonas exemptas, ac ſingulari aliquo priuilegio quouis modo decoratas, extraordinaria eorum auctoritate, ac iuriſdictione, qua tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati funguntur, viſitare. Ex quibus omnibus colligitur, Epiſcopos poſſe omnes delinquentes in caſibus, quorum cognitio ad ipſos ſpectat, non ſolum regere, ac moderari tamquam optimos parentes, ſed etiam tamquam Iudices debitas pœnas

a Ca. relat. c. decreuimus. c. Epiſcopatus c. placuit. 10. q. 1. c. cũ venerabilis. decens. exactio, & proc. Conc. Trid. ſeſſ. 7. c. 8. de refor. & ſeſſ. 24. c. 3.

b Seſ. 7. c. 8. de refor. & ſeſſ. 21. c. 8. de refor.

c Seſſ. 24. c. q. de refor.

d Seſſ. 25. c. q. de refor.

nas infligendo in contumaces,& rebelles, procedere ac reprimere, nõ obſtãte quauis appellatione [a] vel inhibitione; &,vt ſummatim dicam, quicquid viſitationem morũ,ac vitę correctionẽ,& formationem concernit, Epiſcopi in ſua Diœceſi exercere, ac exequi poſſunt, & debent; iuxta S. C. T. decreta. [b] Sunt enim Epiſcopi, Summi Pontificis coadiutores,ad Paſtoralis officij dignitatem, & curæ partem in illis partibus, quibus præſunt, vocati. Et, licet Epiſcopis ob ſummam auctoritatem quam habent in ſuis Diœceſibus hoc munus i. viſitatio commiſſarum ſibi ouium propria ſit, ſunt tamen nonnulli Archidiaconi, [c] Decani, & alij inferiores Prælati, qui particulã aliquam Diœc. tamquam Epiſcoporum coadiutores eadem auctoritate,qua Epiſcopi ipſi,viſitare poſſunt. in qua tamen re Epiſcopi negligentius agere non debent, nec quicquam de Paſtorali ſua cura remittere, ſed omnem ſuam curam,operam,ſtudium, & diligentiam in eo ponere debent, vt Archidiaconi, Decani,& Prælati huiuſmodi, ac inferiores Prælati hoc Viſitationis onus perſonaliter præſtent,nec à Sacroſancti Concilij Tridentini decretis, [d] ne latum quidem vnguem recedant. Quantum vero temporis ſpatium debeat Epiſcopus in huiuſmodi viſitationibus interponere, ſatis liquido conſtat ex ſanctorum Patrum, & Concilij auctoritatibus, ſingulis annis id ab vno quoque Epiſcopo in ſua Diœceſi eſſe præſtandum. Tenentur enim Epiſcopi ſæpius omnem ſuam Diœceſim perluſtrare,ac inuiſere,ac bonos Paſtores, quorum nomine cenſentur, imitari, vt commiſſum ſibi gregem in caulam Domini incolumem, ſine vllo detrimento, quoad eius fieri poterit, perducere poſſint,memores,dæmones, tamquam latrunculos quoſdam iter obſidentes,ouium Domini ſaluti inſidiari,vt, ſi à recta via pauliſper declinantes offenderint, mactare, ac perdere poſſint. In quo ſi paſtorum diligentia defuerit, ouium ſuarum ſanguinem ex eorum manibus Dominus ſe requiſiturum minatus eſt. [e] Quod ſi Diœceſis adeo ampla ſit, vt vnius anni ſpatio commode luſtrari, ac circui per Ordinarium non poſſit; vel adeo anguſta, vt vnius Epiſcopatus nomine, vna tantum ciuitas cenſeatur; quod in Apulia Peucetia multis in locis videre licet, vt noſter Andrienſis, & etiam Bitontinen. Molfecten. Vigilien. Ruben. Iuuenatien. Vitecten. Menerbinen. & multi alij; tunc Epiſcopus ſingulis duobus annis ſaltem debet Viſitationis munus obire, niſi forte aliquid noui acciderit, quod nullam temporis dilationem patiatur, ſed ſtatim Epiſcopus emergenti aliquo magno incommodo occurrere debeat: tunc enim non ſolum bis, ſed ter, quaterq. & pluries viſitare poterit, prout ei magis expedire videbitur.

[a] Sac. Cõnc. Trid.ſeſſ. 22. c. 1.& ſeſſ.24 c. 10. de reformat.

[b] Seſ 24.c.10 de reformat.

[c] Cap. mãdamus de offic. Archidiac.

[d] Seſſ. 24. c. 3. de reform.

[e] Ezechiel.c. 3. & c.33.

## *Quomodo ſit publicanda viſitatio, vt ſubditi ſe ad eam recipiendam præparare poßint; tum inibi de generali edicto ab Epiſcopo proponendo, & explicando. Cap. II.*

CVM in ſuperioribus ſatis demonſtratum fuerit, hoc Viſitationis munus ad Epiſcopos pertinere, nunc operę pretium erit methodum tradere, qua, & Viſitatores, & ij, qui viſitari debent, facilius ſuo munere fungi poſſint. Et quoniã non conuenit tantã rẽ negligenter, nec repentine, & inopinate agere; monebunt Epiſcopi Ciuitatis, ac Diœc. ſuæ incolas, tam clericos, quàm ſæculares, multis diebus ante, congruo aſſignato termino, ac generali propoſito edicto, quod in ſua Cathedrali Eccleſia, vbi populus frequens ad audienda ſacra congregari ſolet, inter Miſſarum ſollemnia publice legendum, ac deinde ad valuas eiuſdem Cathedralis Eccleſiæ, ac locis publicis Ciuitatis affigendum curabunt, cum volent viſitandi initium facere: vt ſubditi omnes, tam ſacris ordinibus initiati, quàm clerici, & laici, commode ſe ad viſitationem ipſam recipiendam tam in Eccleſijs, cappellis, beneficijs, monaſterijs, hoſpitalibus, confraternitatibus, & locis pijs, quàm in perſonis ſuis proprijs, præparare poſſint, ac nouerint. Et, quoniam Opuſculum hoc eſt veluti praxis quædam, & norma huiuſce rei, non grauabor edicti ab Epiſcopo publicandi formam ſubijcere, qua vti poterit, mutando, vel addendo, minuendove, prout loci, temporis, ac rei opportunitas poſtulare videbitur.

Antequam igitur Epiſcopus viſitare incipiat, poterit edictum, huius, qui ſequitur, tenoris, ac formę proponere.

*Lucas Antonius Reſta, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Andrienſis.*

INTER cætera Paſtoris officia, quibus aſſidue ad cuſtodiam commiſſi ſibi gregis inuigilare debet, ac in eo tutando ſedulam operam nauare; præcipuum eſſe Viſitationis ſanctæ munus, ijs omnibus facile innoteſcet, qui magnos, qui inde ſequuntur, fructus ſecum conſiderauerint, ac reputauerint. ſancta enim, & ſalutris eſt viſitatio in

Eccleſia

Eccleſia Dei, plurimumq; conducit, cum ad ipſius Dei cultum conſeruandum, augendumque, tum ad morum correctionem, & emendationem vitæ ſubditorum: atque ita prorſus cum Paſtoralis officij ratione viſitationis onus annexum eſt, vt & per ſacrorum Canonum iura, & Conciliorum decreta prætermitti ab Epiſcopis, neque poſſit, neque debeat, ſine graui eorum culpa, ac inſigni Chriſtianæ Reipublicæ damno. Nos igitur, hoc nobis iniunctum munus, omni qua maxima poſſumus diligentia, Deo adiuuante, aggredi, atque perficere cupientes, perutile fore exiſtimauimus, omnibus, & ſingulis curæ, ac iuriſdictioni noſtræ commiſſis, cæteriſq. quorum id intereſt, hoc ſignificare, ac ad omnium notitiam per has noſtras deducere, nos ſcilicet noſtra ordinaria auctoritate accurate viſitaturos omnes, & ſingulas has Andrienſes Eccleſias, & eius Diœc. & primo noſtram Cathedralem Andrienſem, nec non collegiatas in eadem ciuitate exiſtentes; Item Capitula, tum perſonas Eccleſiaſticas, ac eas, quibus animarum cura commiſſa eſt; quæ ve ipſi Andrienſi, ac collegiatis, alijſve Eccleſijs, collegijs, aut pijs quibuſcunque locis annexa quouis modo fuerint Monaſteria, item quæ commendata ſunt; Abbatias, Prioratus, ſiue Præpoſituras, vel quouis alio modo nuncupatas, in quibus non viget regularis obſeruantia; cætera quoque beneficia curata, ac non curata, ſimplicia, ſæcularia, regularia, quouis modo commendata, etiam ſi exempta ſint; Eccleſias item quaſcumque, quauis ratione exemptas, quæve in nullius Diœceſi ſunt, quibus Cathedralis noſtra propior fuerit, quàm alia Cathedralis Eccleſia; omnes denique Eccleſias non curatas, cappellas, oratoria, altaria, hoſpitalia, collegia, quaſcumque confraternitates laicorum, montes pietatis, piaq. loca omnia, quamuis exempta ſint; etiam ad laicorum adminiſtrationem pertinentia; Moniales etiam, quæ nobis, vel etiam Sanctæ Sedi Apoſtolicæ immediate ſubiectæ ſunt; Monialium item quarumcunque clauſuram; Monaſteria inſuper, in quibus cura exercetur animarum, perſonarum vero ſæcularium congregationes in ijs, quæ ad ſacramẽtorum adminiſtrationem pertinent; omnes denique, & quaſcumque ſæculares perſonas Eccleſiaſticas, etiam exemptas, & regulares, extra Monaſterium vitam agentes. Hæc omnia (inquam) & ſingula diligentiſſime viſitabimus: &, ne quemquam imparatum reperiamus, neve quis ignorantiæ clypeo ſe munire, ac tutari poſſit, rationi conſonum eſſe duximus, hoc noſtro publico promulgato edicto, omnes, & ſingulos certiores facere, atque hanc animi noſtri ſententiam omnibus intimare. Noueritis igitur nos die decimo ſexto menſis Iunij viſitandi initium facere velle, eo animo, eoque conſilio, vt, quantum in nobis eſt, Diuina benignitate adiuti, omni diligentia, ſollicitudineq;

& pieta-

& pietatis, ac paſtoralis officij ſtudio ijs potiſſimum incumbamus, ac ſedulam noſtram operam nauemus, quæ ad cultus Diuini rationem, animarumq. ſalutem, & ad Eccleſiarum ſtatum, Chriſtianamq. morum inſtitutionem, nec non ad cleri, ac fidelis populi vitæ, morum, atque officij diſciplinam ſpectare iudicabimus. Quare monemus, & hortamur omnes & ſingulos, ad quos earum Eccleſiarum, Monaſteriorum, & piorum locorum, quæ diximus, cura, vel gubernatio, vel adminiſtratio, vel Miſſarum, ac diuinorum officiorum, quæ in ijs præſtanda ſunt, celebratio, aliorumve munerum functio pertinet, vt, quo die ſingulas illas Eccleſias, locaq. viſitabimus, proferant, ac oſtendant nobis, vel ei, cui tale munus delegabimus, vel Cancellario noſtro, cuius opera in hoc viſitationis munere vtemur, ſuorum omnium beneficiorum, & ſacrorum ordinum titulos, & Eccleſiarum, capitulorumve ſtatuta, conſtitutiones, ac obligationum onera, quæ eis impoſita ſunt; Indicem præterea libellum, ſiue inuentarium bonorum omnium, mobilium, & immobilium, & ſcripturarum capituli, quæ in Archiuio conſeruantur; atque eas res omnes exhibeant, oſtendantq. quæ ad Eccleſiæ, aut pij illius loci cultum, apparatum, & ornatum pertinent. Si quis autem cuiuſuis ordinis, aut dignitatis ſit, aliqua in medium afferre voluerit, quæ ad Dei laudem, & Eccleſiarum commodum, & animarum ſalutem eſſe putauerit, eum hortamur in Domino, vt omnia ea nobis, vel ſermone, vel ſcripto patefaciat, ac inſinuet. Et, quoniam ab ijs, quæ alijs præſtant, initium ſumi decet; primum Cathedralem noſtram Andrien. Eccleſiam viſitabimus; ad alias deinde Eccleſias, & loca, quæ diximus, progrediemur, ea ſeruata ordinis ratione, quę ad eam rem bene gerendam, magis expedire nobis videbitur. Itaque monemus, pręcipimus, atque citamus capitulum Cathedralis noſtrę Eccleſię Andrien. eiusq. Archidiaconum, Archipresbyterum, N. N. N. N. N. N. N. N. cęterosq. omnes Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, ac clericos in minoribus conſtitutos, cappellanos, & beneficiatos quoſcumque, qui in ijs Eccleſijs quouis modo miniſtrant, & miniſtrare, & ſeruire debent, vt dicto pręfixo die 16. pręfati menſis ſummo mane omnes ad viſitationem conueniant; ac ſui quiſque beneficij, quod in ea Eccleſia obtinet, titulos, diſpenſationem, ſtatuta, conſtitutiones, ordines, obligationum onera nobis (vt ſupra diximus) exhibeat; in eaque viſitatione, quam ſtatuto iam die aggrediemur, etiam ſi non eo ipſo die abſoluere poterimus, tamdiu adeſſe pergat, quoad, omnibus ijs, quę ad eam pertinent, quęq. nos neceſſaria, & opportuna cenſuerimus, perfectis, illam omnino abſoluerimus. Et, vt hæ noſtrę litteræ, notarij noſtri manu ſcriptę, ac manu, & ſigillo noſtris ſignatę, quas edicti publici vim, ac robur habere decernimus, omnibus

bus ijs,quibus prędiximus, ac alijs, quorum id intereſt, & in poſterum quauis ratione intererit, notę, ac manifeſtę, plane eſſe poſſint, volumus eiuſdem noſtrę Cathedralis Andrienſis Eccleſię, & aliarum huius ciuitatis Eccleſiarum, quę collegiatę ſunt, ac Monaſteriorum valuis affigi,ac ibidem relinqui; eosq. omnes, quos diximus,eiuſdem litterarum vigore ſic affixarum, ita teneri, ac ſi ipſi illi perſonaliter moniti, & requiſiti,ac citati fuiſſent. Mandantes propterea Sacriſtis harum noſtrarum Eccleſiarum, ut, poſtquam in ijſdem Eccleſijs prędſentes publicatę fuerint, in ualuis eas affigant, & refigant, cum relatione in calce earum: quibus plena fides adhibeatur. Datum in noſtro Epiſcopali Palatio Andrien. die N. Menſis N. Anno N. Pontificatus S. D.N. D. N. Anno N. Præſulatus uero noſtri, Anno N. feliciter. Amen. Alia etiā forma edicti uti Viſitator poterit,prout ipſi melius uidebitur.

---

## *Quid dandum, quidve poſtulandum ſit pro Viſitatoris victu. Cap. III.*

EAM eſſe humani ingenij imbecillitatem, ut nihil boni per ſe cogitare, aut cupere, ne dum exequi queat, niſi omnipotentis Dei auxilio, ac Sancti Spiritus ope corroboretur, ſatis patet ex verbis D. Ioannis Euangeliſtę,apud quem ita Chriſtus Dominus loquitur: [a] Sine me nihil poteſtis facere. Cui non diſſimile eſt, quod Apoſtolus, Sancti Spiritus tuba, fidelium auribus intonat: [b] Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis,quaſi ex nobis,ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. A quo etiam non diſcrepat, quod idem Apoſtolus alibi dicit: [c] Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere. Cum igitur homo neque ſe ipſum regere, neque quicquā, quod Deo gratum ſit, efficere poſſit Diuina deſtitutus gratia, & niſi Sancti Spiritus internis vocibus excitetur, ac eiuſdem ductu dirigatur, multo minus ſine huiuſmodi donis, ac gratijs alios regere,ac Diuinam eis gratiam comparare poterit. Quapropter Epiſcopus, & quicunque alius viſitator, omni cordis affectu, ac pijs precibus debet in primis omnipotentis Dei miſericordiæ fores adire,ac gregem ſibi commiſſum cum lacrymis,& orationibus Creatori ſuo humiliter commēdare;&, quo magis oues ſuas reformatione indigere, & ſe imbecilliorem ad tantum onus ſubeundum videbit, eo maiore charitatis ardore poſtulabit Ieſum Chriſtū, gratiarum [d] vberrimum

[a] In Euangel. cap. 13.

[b] 2. ad Cor. cap. 3.

[c] Ad Philipp. cap. 2.

[d] Ca. reuertimini. 16. q. 1.

rimum fontem, & totius pietatis patrem aſſidue exorando, vt Sancti Spiritus igne, qui ardet, nec conſumit, populi ſibi commiſſi corda inflammare dignetur, ouesq. ſibi creditas à graui ſomno, à quo pigritantes obruuntur, ad ſui ipſius cognitionem excitare velit; vt intimo cordis affectu, ad Dominum conuerti poſſint, & ab eo ſeruari mereantur, ac donis eternæ patriæ munerari; deinde perfecta charitate inſtructus, quæ à ſe ipſo incipit, [a] ſtudebit Præſul, ſe ipſum omnibus, & ſanctę conuerſationis, & morum ſuauitatis exemplar, & ſpecimen, iuxta ſacro Sancti Concilij Tridentini [b] decreta, præbere. Hinc poſtea Viſitationis munus aggreſſus ſtatim in principio populis viſitandis, & verbis perſuadeat, & re ipſa comprobabit, ſe in eo nihil aliud, quàm ouium Domini ſalutem quærere; ſemperq. errantium emendationi, & peccantium conuerſioni, operam ſuam nauiter impendet, eosque veluti optimus parens, omni humanitatis genere proſequetur, benigne excipiendo, ac ſalubribus exhortationibus ſemper cum eis agendo; vt à via ſua praua conuertantur ad Dominum; cauebitq. interim, ne cuiquam anſam præbeat, auaritiæ eum, à ſtudijs propriæ vtilitatis, ac commodi, inſimulandi; declarando, nihil omnino Prelato ſuam Cathedralem Eccleſiam viſitanti pro alimentis deberi; ſed tantum cū extra Vrbis mœnia egredietur, ac ruralem viſitationem peraget. quod nos ad vnguem obſeruauimus in tribus Eccleſijs, quas reximus, ac viſitauimus, Caſtren. ſcilicet, Nicotoren. & Andrien. cui nunc preſumus. Quapropter non grauabor adnotare breuiter, quid Prelato ſuam Diœceſim viſitanti, ſiue eius Vicario, pro alimentis competat, quid parandum, quidve exhibendum ei à ſubditis pro huiuſmodi neceſſitate victus ſit, ac ijs, quos ſecum ducet, durante Viſitationis tempore. nam, vt ex Sancto Ieſu Chriſti [c] Domini noſtri Euāgelio elicitur, Dignus eſt operarius mercede ſua. Cui quoque non diſsimile eſt, quod Apoſtolus dicit: Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt, ſi & nos carnalia veſtra metamus. quod etiam ſacrorum [d] Canonum auctoritate ſatis cōfirmatum eſt. Animaduertat tamen Viſitator, vt, quę ſibi, ac ijs, qui cum eo ſunt, ad victum ſunt neceſſaria, ita exigat, vt nulli omnino ſit moleſtus, nec àliquod inde ſcandalum oriatur, ſed cum omnibus humanè, ac humiliter aget, ſeq. omnibus gratum eſſe ſataget, Sanctum Apoſtolum in hoc imitatus, qui & in Epiſtolis ſuis, [e] & in Actibus [f] Apoſtolorum, id egiſſe legitur; tanta denique tam ipſe, quam familiares eius, vti debet modeſtia, ac cum decet hac in re adhibere modum; vt, quod ipſis ad victum tribuitur, in Eccleſiarum, ac earundem Rectorum damnum non tranſeat. huic enim incommodo ſacrorum [g] Canonum auctoritas prouidit; ſed vt cętera omnia ea ratione, potiſſimum hac animi moderatione vtendum eſſe Prelatus viſitans ſibi perſua-

a c. ſane, cum ſeq. de pæni. diſt. 3.
b c. 3. ſeſſ. 24.
c Matth. 10. Luc. 10. Prima ad Cor. c. 9.
d c. venerabili, & c. procu. de cenſ & c. exigit. eod. tit. lib. 6. c. ſi Epiſcopus de off. ord. lib. 6. c. cū ex off. de præſcript. cū alijs.
e Prima ad Cor. c. q. 2. ad Theſſaloni cenſes c. 3. ad Philip. ca. 4.
f Cap. 20.
g Cauendū, & relatū 10. q. 111. c. cū Apoſtolus cum inſtantia de cenſ. c. cōquerenti de off. ord.

perſuadebit, ne videatur velle opus tam laudabile, ac ſanctum, quod pie ad omnipotentis Dei gloriam, & honorem inſtitutum eſt, ad lucri cupiditatem, ac propriam vtilitatem, contra ſanctorum [a] Patrum placita detorquere. Immo ſtudeat potius omnibus, & verbis, quoad eius fieri poterit, perſuadere, ac re ipſa comprobare, ſe eo veniſſe, vt tamquam bonus paſtor, ac parens, [b] eos omnes cōſoletur, ac ex miſerijs, & calamitatibus, in quibus ſunt, eruat. Cauebit autem in primis, ne quod munus, licet minimum, aut ipſe aut familiares eius à populis viſitandis, quouis quæſito colore, accipiant; præterea, quę ad victum ſunt neceſſaria; idq. non tam, ne in pœnas, ac cenſuras à ſacris Canonibus, & Sacra Tridētina [c] Synodo ſtatutas incurrat, quàm, vt, ne dignitati ſuæ detrahere videatur. nihil enim magis iudicem decet, quàm ſe æquum, ac rectum omnibus præbere, ac in obeundo munere ſuo, miram quandã, ac excellentem animi magnitudinem, ac liberalitatem præſeferre. ſatis enim perſuaſum eſt omnibus, ac clarum, Iudicem, munera oblata non recuſantem, maximam, ac turpem dignitati ſuæ notam afferre. cumq. omnibus id cauendum ſit, ijs tamen præcipue fugiendum eſt, quorum ſtudium totum in dirigendis mortalibus ad Chriſtianæ vitę normam, ac exemplum verſatur. Nam (vt cętera omittam) quis nō videt muneribus prœliantem hominem, ſępius, aut ingrati, aut iniuſti notam ſubire; dum, qui munera dederunt, omnia ſibi, & æqua, & iniqua deberi contendunt, ac oblatis muneribus Iudicem ſe corrupiſſe ſibi perſuadent? Recte igitur, ac ſapienter dixit Salomon: [d] Victoriam, & honorem quærere eum, qui dat munera. Cui non diſſimile eſt, quod Moiſes dixit: Munera excitant oculos ſapientis. Cui etiam illud Iſaiæ adſtipulatur; Beatus qui excutit manus ſuas ab omni munere. Et Dauid: [e] Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocētem non accepit. Et alibi, loquens de ijs, qui in domo Dei habitaturi ſunt, inquit: Innocens manibus, & mundo corde, &c. Quapropter, ſi Prælatus, ſiue Viſitator, patiens, ac Chriſtiana charitate, quæ per dilectionem operatur, erit incenſus, &, quos ſecum ad hoc munus peragendum ducet, ſi ſimiles [f] ſibi in moribus, ac vita honeſta eſſe ſtudebit, ac ſataget; placeret illud, vt, quę pro victus ſui ſubminiſtratione à populis viſitandis ei tribuenda ſunt, in tot terræ frugibus [g] potius, ſiue rebus alijs (vt fert anni tempus) exhibenda curaret, quàm, vt pro ijs aliquam pecuniarũ [h] ſummam acciperet. ita enim omnis accipiendorum munerum occaſio tolleretur, idq. magis extrauaganti illi Benedicti, quæ incipit, Vas electionis, [i] conſonum erit. Atque hoc diligentius erit obſeruandum, ſi Epiſcopus per ſe viſitationem non peraget, ſed per Vicarium ſuum, ſiue per alium ſubſtitutum. quo caſu nihil ei pro alimentis competere [k] ſciat, nec quauis alia ratione, ſed tan-

a c. Infrangibili de off. ord.

b c. cum Apoſtolus de cēs.

c c. 3. ſeſſ. 24.

d in lib. Prouerb. 3.

e Pſal. 23.

f c. cum Apoſtolus de cens: lib. 6.

g c. Romana. c. exigit de cens. in 6.

h c. felicii ibid.

i decens. exactio, & proc.

k c. cum venerabilis, & c. p ocurationes de cens. in 6.

tum ei victus exhibendus eſt, qui perſonaliter eius vice Diœceſim inuiſet, cui ad victum neceſſaria Eccleſiæ, & populi, quos viſitabit, ſubminiſtrare debent: in reliquis Prelatus, qui committet ei, prouidebit,[a] pro vt inter ſe conuenerint. Atque hanc alimentorum, ac victus ſubminiſtrationem debet Viſitator ita accipere, vt gratioſe à viſitandis exhibitam, & ad declarandam filialem obedientiam, non autem loco mercedis, ac præmij, ac veluti finem ſuorum laborum. nam (vt teſtatur Apoſtolus)[b] non eſt prędicandum, vt comedamus, ſed comedendum, vt prędicare poſſimus. Qua in re ſemper Prelatus viſitās prę oculis habeat, quid Sacro Sancta Tridētina[c] Synodus ſtatuerit. Satiusq. ac longe melius eſſet, ad vitanda ſcandala, & ad tollendas errorum cauſas, vt omnia gr-tis, & ſine vlla mercede fierent, niſi tanta eſſet Epiſcopi paupertas, & inopia, vt hunc laborem viſitandi abſque aliquo ſubſidio ſuſtinere non poſſet. Verum enimuero, quoniam ſubditi, plerumq. ſe emendari, ac corrigi nolunt, idq. quantum in ipſis eſt, euitare conantur, aut quauis alia ratione in ſancto hoc Viſitationis munere Prælati ſui famæ, ac exiſtimationi detrahere nituntur, fingentes ſe immenſis ſumptibus grauatos eſſe, id quod nonnumquam eorum culpa accidere ſolet, qui huiuſmodi ſumptibus faciendis præſunt, qui hac in re, vel proprij commodi cauſa, vel quauis alia ratione modum excedunt, vt mihi accidit, in primis Epiſcopatus Caſtrenſis annis, Diœceſim paruulam viſitando; propterea cenſerem, Viſitatorem, confecta cuiuſcumque Eccleſiæ, ſiue oppidi viſitatione; per ſe, vel per alium ad id potiſſimum eligendum, computa, ac rationes expenſarum in huiuſmodi viſitatione pro ſubminiſtrandis ſibi alimentis factarum diligenter percurrere debere, ac inſpicere; eaq. ſic inſpecta, ac manu Chirographi ſui ſubſcripta per Notarium ſuum in actis illius Viſitationis pro maiori, & ſui ipſius, & viſitatorum cautela referenda curare. Accedit etiam, quòd hac ratione omnis fraus, & detrahendi occaſio penitus tolletur. Sed præ cęteris caueat in primis Viſitans, ne quam pecuniæ ſummam, quouis quæſito colore, à ſubditis in peragenda Viſitatione accipiat. Nam (vt ſancti Patres[d] teſtati ſunt) acceptio nummorum, præuaricatio eſt veritatis.

[a] c. inter cætera de off. ord. & c. ſi Epiſcopus eod. tit.

[b] 1. ad Cor. cap. 9.

[c] cap. 3. ſeſſ. 24.

Auctoris opinio, & optima, tanquam experti.

[d] c. qui recte. 11. q. 3.

Viſitatio

## *Viſitatio Cathedralis Eccleſiæ. Quomodo Prælatus Viſitationis principium inire debeat, & quid tam ab ipſo, quàm ab ijs, qui viſitandi ſunt, præſtandum prima vice. Cap. IV.*

CVM igitur terminus per edicti publicationem præfixus iam tranſierit, eadem met die ſummo mane in prima vice debent omnes in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti, Canonici, Abbates, Presbyteri, & Clerici etiam exempti, non ſolum in Cathedrali Eccleſia, ſed etiam in alijs, & Parochialibus, & Collegiatis exiſtentes ad Cathedralem Eccleſiam cum crucibus, & ſuper pellicijs conuenire. Atque interim Cærimoniarum magiſter, ſiue Præfectus, Baldachinum, ſiue vmbellam præparandam curabit, & etiam qui rem ſacram peracturus eſt, quę ſolemniter in dicta Cathedrali Eccleſia cantabitur ab aliquo in præcipua dignitate poſt Epiſcopum conſtituto, ſi tamen Epiſcopus, vel Viſitator Epiſcopi noluerit cantare: quod iam conuenit, & decet: & ita ego ſemper obſeruaui, in initio ſaltem Miſſam legendo cum quatuor aſſiſtentibus, paramentis pretioſis rubei coloris indutis, Baldachinum deferentibus. Imminente iam Viſitationis hora, omnes proceſſionaliter cum Crucibus ad Domum Epiſcopi ſe conferent, vt eum ad Cathedralem Eccleſiam ducant. Quæ omnia obſeruanda ſunt, ſi Viſitator ſit Epiſcopus: alioquin prætermittantur.

Epiſcopus vero cappa Pontificali ſuper rochetum indutus, (niſi ſit regularis: tunc enim loco rocheti, ſuper pellicium aſſumit) vbi ſcalas domus deſcenderit in atrio, ſiue cortili, ſub baldachino, ſiue vmbella iam præparata, ſe confert, & pręcedente clero proceſſionaliter, & muſicis, ſiue cantoribus, ſi non ſint muſici, Hymnum Veni creator Spiritus decantantibus, ad Eccleſiam pergit; Cumq. ad portam maiorem peruentum fuerit; ea omnia peragit, quę in Romano Pontificali ſub rubricis de ordine ad recipiendum proceſsionaliter Prælatum, ſiue Legatum continentur. Cumque Eccleſiam ingreſſus fuerit, genuflexus ſuper tapetum ibi ſtratum, ac pręparatum cum puluinari-

bus, oblatam ſibi Crucem ab eo, qui in ipſa Eccleſia maiorem obtinet dignitatem, ſuperpellicio, & pluuiali pretioſo induto, pie, ac deuote oſculatur, ac omnia alia facit, quæ in eodem met Pontificali ſub rubricis de ordine ad viſitandas Parochias habentur. Quæ quoniam à quouis ibidem videri poſſunt, nos, breuitati, quoad eius fieri poterit, ſtudentes, ſuperfluum duximus, hic ad verbum transferre, ac ſubtexere, contenti adnotaſſe tantum, ac, vbi iam comode, ac plenius haberi poſſunt, innuiſſe. Quibus peractis, Prælatus, Pontificali habitu indutus, cum pluuiali violaceo, ac mitra ſimplici indutus, præparato faldiſterio in medio Altaris, ſuper illud ſedeat, atque interim vno ex Cappellanis ipſius ad ſiniſtram eiuſdem Prælati ſedentis ſtante, & baculum dextera manu tenente, ſermonẽ ad populũ habeat ſuper hac Viſitationis materia, [a] docens, quę cauſa potiſſimum Præſulem ad Viſitationem incipiendam impulerit, quàm boni, & ſancti, ex ea fructus percipiantur, quàm neceſſaria ſit in Eccleſia Dei, & ad ipſius honorem, & gloriam, & cultum augendum, & ad mortalium ſalutem, verba apta, & accommodata ſemper eligendo. Quo finito, Epiſcopus populum ſolemniter benedicet.

[a] Themata diuerſa ſermonũ huiuſmodi videas infra ita part. 2. c. 9.

## *Electio Collegarum, vel Coaſſumptorum, & aliorum Officialium, in Viſitatione. Cap. V.*

ATQVE his omnibus hoc ordine peractis, dictus Epiſcopus, ſiue Viſitator Primates Cleri in dignitate conſtitutos, Canonicos, & Presbyteros, quot, & quos ſibi videbitur, & eos potiſſimum, qui, & vitæ honeſtate, & doctrina cęteris preſtabunt, ad hoc Viſitationis munus Coadiutores ſibi publice aſſumet, & Officiales, veluti Fiſcum, Notarium, & reliquos, quibus vtendum erit, ibidem eliget; & hęc omnia in Viſitationis illius actis referri imperabit; iiſque omnibus, quos ſibi Coadiutores aſſumpſit, ſemper, vel plerumque, in tota illa Viſitatione peragenda, vtetur, excepta tamen Viſitatione perſonali, quę per ſolum Præſulem cum Notario; vel pro vt magis ei expedire videbitur, perfici poteſt; pro vt loci, temporis, ac rei opportunitas poſtulabit, Nam id totum Prelati Viſitantis iudicio integrum relinquitur. Et ita decretum pronunciabit

nunciabit

nunciabit in electione collegarum, vt ſit in optione Viſitatoris modus procedendi, iuxta locorum, & facti incidentis qualitatem, quando ſolus cum Notario, & quando cum aliquibus, vel vno collegarũ.

*Pro forma electionis inſeruntur hic Collegæ, ſiue Coaſſumpti, & Officiales in Viſitatione noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, electi per nos, hoc modo, videlicet.*

## Nomina, & cognomina collegarum in hac ſancta Viſitatione ſunt, videlicet.

### Cathedralis Eccleſiæ.

ILluſtris, & Reuerend. Admodum D. Fabricius Reſta V. I. D. Protonotarius Apoſtolicus, & Generalis Vicarius.
Reuerendus Petrus Paulus Cognitor, Archidiaconus.
Reuerendus Tarquinius Coccus, Sac. Theol. Doctor, Archipresbyter.
Reuerendus Donnus Antonius Guadagnus, Cantor.
N. N. N. N.
N. N.

### Eccleſiæ collegiatæ Sancti Nicolai Trimodien.

N. N.

### Eccleſiæ Santiſſimæ Annunciatæ.

N.

### Procurator Fiſcalis.

N.

### Notarius, & Magiſter Actorum.

N.

### Nuntij, & executores Epiſcopalis Cur.

N. N.

Quibus

Quibus omnibus fuit mandatum, quòd dato ſigno cum ſolita campana magna, Maria nuncupata, in Epiſcopali Palatio conueniant ad aſsiſtendum, & eorum Officium exercendum apud ipſum Illuſtrem, & Reuerendiſsimum D. Epiſcopum, & Viſitatorem in Viſitatione facienda.

## *Vocatio Presbyterorum. Cap. VI.*

HABITO ſermone ad Populum, & expoſitis breuiter aduentus ſui cauſis, & fructibus, qui in Eccleſia Dei ex ſancta Viſitatione ſolent emanare, & electione prędictorum facta, Conſueuere Prælati, omnes in dignitate conſtitutos, nec non Canonicos, Presbyteros, & Clericos omnes, qui in ea Ciuitate, vel oppido habitant, vbi eos Viſitatione vacare contigerit, ad obedientiam præſtandā vocare. Quapropter Viſitator (ſi fuerit Epiſcopus) completo ſermone, de quo ſupra, & electione prædicta, ſedens, cum mitra pretioſa, per publicum Notarium, cuius opera in ſancta Viſitatione vtetur, Presbyteros ad obedientiam præſtandam ſigillatim vocandos curabit, dignitatum, & graduum ordine ſeruato. Qui vbi ſe vocari ſenſerint, primo reſpondebunt, Adſum, Domine; deinde vero, ad Prælatum Viſitantem accedentes, & profunde ſe inclinantes, Altare maius, & Sanctiſsimum Sacramentum prius, ac Viſitatorem ipſum venerabuntur, & poſtremo, oſculata ipſius manu, iteratis iiſdem reuerentijs, vt ſupra, ad locum ſuum redibunt. ſi qui vero fuerint abſentes, vt contumaces, & rebelles, eos, inſtante Curiæ Epiſcopalis Procuratore Fiſcali, pœnis in generali edicto contentis mulctabit.

*Monitio-*

## *Monitiones Generales, quæ præmitti, & publicari debent in Viſitatione Generali. Cap. VII.*

CVMQVE ſinguli hoc ordine vocati obedientiam prẹſtiterint, Monitiones ſuper publicis, & enormibus delictis, & peccatis per eundem Notarium ex ſuggeſtu, alta, & intelligibili voce legendas curabit, Latine, vel patrio ſermone, prout magis expedire videbitur: & hoc, vt Prẹlatus Viſitator ſuam conſcientiam exoneret, & omnes ſciant peccata publica, & enormia Viſitanti propalare. & ſunt hæc, quẹ ſequuntur, mutatis nominibus, & locis.

Lucas Antonius Reſta, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Andrien. &c. In ſancta Viſitatione Generali, Omnibus, & ſingulis cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis, in hac Ciuitate Andrien. & ſua Diœceſi, ſiue quomodocumque ibi habitantibus, & commorantibus, noſtras litteras, ſiue monitorium viſuris, lecturis, & quomodolibet audituris, ſalutem in Domino noſtro Ieſu Chriſto, & pacem æternã. Noueritis, ſanctos Patres [a] Sancti Spiritus gratia illuminatos, in Sacro ſanctis Concilijs, legitime in Spiritu Sancto congregatis, & nouiſsime in Sacro ſancta Synodo ſtatuiſſe, ac ordinauiſſe, [b] vt omnes Epiſcopi, & Viſitatores ſemel ſaltem in anno perſonaliter per ſe ipſos, vel, ſi aliquo legitimo impedimento detinerentur, per aliquos viros idoneos ab ipſis eligendos ſuam Diœceſim totam Generali Viſitatione percurrerent, ac omnium ſibi ſubditorum, ſiue Clerici, ſiue laici fuerint, vitam, ac mores diligenti indagine ſcrutarentur, altiori conſideratione perquirentes, quo pacto Eccleſiæ, Hoſpitalia, Monaſteria, Confraternitates, Montes pietatis, ac reliqua loca pia Deo dicata honorifice, prout decet, tractarentur, omniaq. ad Eccleſiæ ſanctæ vtilitatem, ac animarum pretioſiſsimo Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanguine redemptarum ſalutem dirigentes. Quapropter nos, ſacrorum Canonum auctoritate permoti, ac adducti, animaduertenteſq. omnipotentis Dei famulatum, ac cultum in hoc potiſsimum conſiſtere, vt Prælati curent Eccleſias, Di-

a tot. tit. de cenſ. & exact. in decret. & etiã li 6. cõc. Tolet. 4. c. 35.
b c. 3. ſeſſ. 24. de reform.

uino cultui dicatas, à bonis, optimis, ac integris miniſtris regi, & gubernari, & ab ijs præſertim, qui ſummi Dei quæſitam gratiam non abijciant, ſed in ea perſeuerent, ac perfecta charitate ſint ornati, alieni prorſus ab omnibus vitijs, ac noxis, publicis præſertim, & notorijs, quibus non ſolum Deus Optimus Maximus offenditur in dies, & ad iracundiam prouocatur, ſed etiam populis, & toti Reipublicæ Chriſtianæ perturbanti, damnum, ſcandalumq. offertur; cum ſatis compertum ſit, horum exemplo, pleroſque adductos impie contra Dominum peccare. Nos igitur, (inquam) vt & muneri noſtro ſatiſfaciamus, & conſcientiam noſtram hoc onere leuemus, generalem, ac ſolemnem Viſitationem in hac noſtra Ciuitate Andrien. & Diœc. facere ſtatuimus. Et, quia publica, & enormia crimina, ac peccata, grauiora etiam, & perículoſiora, eſſe ſolent ab Epiſcopo, & ſpirituali Paſtore cenſenda, ac magis emendatione, ac correctione indigere, ad quæ minime poteſt procedere, niſi aliquo modo ei innoteſcant: Iccirco omnes vos, & ſingulos prædictos in charitate, & iuxta Apoſtolicum præceptum monemus, ac hortamur, ac in virtute ſanctæ obedientię diſtricte vobis cōmittimus,& mādamus,vt quicumque vel ſcit, vel per alios dici audierit aliquid ex ijs, quę hic infra dicentur circa crimina, & peccata enormia, abuſus, & alias quaſcumque res publicas, & notorias, quę reformatione indigere cenſentur, ad nos deferre, nobiſq. notum facere teneatur toto eo temporis ſpatio, quo Viſitationem perficiemus in hac Ciuitate, in Eccleſia, ſiue in noſtro Epiſcopali Palatio. Nos enim, huiuſmodi viros bonos, & honorem Dei zelantes, benigne, publice, & ſecrete audiemus, quo facilius de omnibus per eos inſtructi, ac docti, quę ad omnipotentis Dei cultum, & ouium nobis commiſſarum ſalutem, neceſſaria ſunt, omnibus incommodis occurrere, ac omnibus opportuna remedia adhibere poſsimus, prout nobis, & ad munus noſtrum Paſtorale implendum, & ad communem omnium vtilitatem, magis expedire videbitur, vt à peccato exeant, & male viuere reſipiſcant, & Deus Optimus Maximus ſemper ab omnibus laudetur, & glorificetur in ſæcula ſæculorum.

1 In primis hortamur, & monemus, & in virtute ſanctę obedientię committimus, & mandamus, vt omnes, & ſinguli, qui ſciunt, & ad quorum cognitionem quouis modo peruenit, Rectores Eccleſiarum Ciuitatis huius, Eccleſijs, ſiue beneficijs non ita inſeruire, vt tenentur, Miſſas, & alia Diuina officia ſtatutis horis, ac idoneis temporibus celebrando, nobis notum facere teneantur, eo modo, quo ſupra diximus.

2 Item, quicumque ſciret aliquem Clericum Simoniam, vel in recipiendis

cipiendis ordinibus ſacris, vel in obtinendis Eccleſiaſticis beneficijs commiſiſſe, patronis, vel alicui alij committendo, vel donando partem, vel penſionem fructuum prædictorum beneficiorum, vel quòd libet aliud; vel, ſi quis ſciret aliquem eorum, quod vis præmium, contra laudabilem, & probatam Eccleſiæ conſuetudinem, pro miniſtrandis Sacramētis, Baptiſmo potiſſimum, & Extrema vnctione recepiſſe, nobis notum facere teneatur. nam non ſine magna, inſigniq. animi moleſtia, ac dolore, ad noſtras aures peruenit, multis in locis hunc abuſum conualuiſſe, vt Clerici hæc duo præſertim Sacramenta ſine aliqua lucri ſpe, Chriſti fidelibus miniſtrare nolint; & Patroni, qui aliquos ad beneficia Eccleſiaſtica obtinenda præſentant, fructuū partem ſibi, vel alicui alteri ab eo præberi velint, quem præſentant, ac ſi lucri ſpe, non autem potius ad Dei Omnipotentis gloriam, & honorem huiuſmodi præſentationes fieri deberent, viros virtutum inſignibus ornatos, vitæ integritate, ac doctrina cæteris præcellentes eligendo. Qua in re, præterquam quòd Saluatoris noſtri præcepto non obediunt, qui dixit, Gratis[a] accepiſtis, gratis date, nouerint quoque ſe in pœnas per Sacros Canones[b] ac noſtras Conſtitutiones Synodales ſtatutas incidere.

a Matth. c. 10

b Tot. tit. de ſimo. & in decret. cauſ. 1. per omnes quæſt. Conc. Trid ſeſſ. 25. c. 9 de refor. Cōſt. Synod. Andri. in ti. de bñfi. coll. & de Simo.

3 Item, quicumque ſcirent aliquos Clericos ante legitimam ætatem, vel aliquo excommunicationis vinculo irretitos, aut ſuſpenſione, irregularitateve, vel alio quouis impedimento detentos ſacros ordines ſuſcepiſſe, reuelare teneantur, vt ſupra.

4 Item, ſi ad alicuius notitiam perueniſſet, aliquem, ſiue Laicum, ſiue Clericum, cuiuſcumque ſtatus, gradus, ac conditionis, per ſe, vel per alium, quouis quæſito colore, occupare, ac indebite, & ſine Canonica inſtitutione, retinere cenſum, fructusve, vel alicuius beneficij Eccleſiaſtici, vel alterius rei Diuino cultui dicatæ, vel illius vſu fructum percipere, nobis denuntiare teneantur. id enim ne quis facere audeat, & ſacrorum Canonum auctoritate, & nouiſſime Sacro ſancti Tridentini Conc. decreto,[c] ſub maioris excommunicationis pœna, à qua nemo, niſi ſummus Pontifex, abſoluere poſſit, cautum eſt: reſtitutis tamen interim, ante abſolutionem, omnibus ſic indebite perceptis, & eorum fructibus.

c Seſſ. 22. c. fin. de refor.

5 Item, ſi cui notum eſſet, aliquos ſacrorum Sacramentorum miniſtros, veluti Baptiſmi, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ vnctionis, ſi quando die, nocteve, vocati fuerint, ſuo munere diligenter, ac nauiter non eſſe functos[d] in miniſtrandis huiuſmodi Sacramentis, tam infirmis, quàm alijs indigentibus; vel, ſi quis ſciret, eorum negligentia, culpave factum eſſe, vt aliquis è Chriſti fidelibus, ex hoc ſæculo, ſine Baptiſmi, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Extremæ vnctio-

d Per hoc, & omnibus ſeq. videas tract. Berard. Diaz in 1. libello incip. coram vobis.

nis Sacramento migraſſe ad nos referendum curet. Inſuper, quiſquis ſciret, Clericos, quibus ex officio conuenit infirmos inuiſere, & in extrema illa, ac vltima neceſſitate adiuuare, id aut prætermiſiſſe, aut re ipſa præſtare neglexiſſe, vel eos, qui tenentur in Eccleſijs ſuis Chriſti fideles orthodoxæ fidei articulos, Chriſtianæ fidei præcepta, miſericordiæ opera, tam corporea, quàm ſpiritualia docere, methodum, ac viam cauendi ſeptem peccata mortalia, ac quidquid Deum Optimum Maximum lædit; &, vt breuiter vniuerſa concludam, quidquid doctrinæ Chriſtianæ nomine continetur, illis demonſtrare: Hos (inquam) qui nouerint, tam ſalutarem conſuetudinem, ac ſanctum opus negligenter tractare, vel, quod peius eſt, negligenter prætermittere, ad nos protinus deferendum curet.

6 Item, ſi quis noſſet, in Clero Clericum aliquem eſſe, qui vel ea vitæ honeſtate non eſſet præditus, qua decet, vel non bonæ conditionis, ac famæ, vel (quod peius eſt) ſcandali, ac errorum ſuo exemplo, cauſa, ac fomes reliquis eſſet, nobis notum fieri curet; quia operam dabimus ſemper, vt Clerici reliquis Chriſti fidelibus, veluti præclara quædam lux, in bonis, ac ſanctis operibus præeant, ac eos inſtruant, non autem ſuo exemplo à recta via abducant.

7 Item, quicumque ſcit, Clericum aliquem, cuiuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis, aliquo publico crimine irretitum eſſe; vt vel publice ludat, mercatoremq. ſe, vel publicanum palam omnibus exhibeat, vel aliam quamuis artem dignitati Clericali minus conuenientem exerceat, laicis inſeruiat, ex quo facile erroris, ac ſcandali cauſa poſſit oriri, vel perdendæ animæ ipſius periculum; vel tandem, ſi cui innoteſceret, aliquem ex Clericis publicum eſſe concubinarium, vel inſigni aliqua malorum, ac facinoroſorum hominum conſuetudine delectari, ac detineri, non ſine aliqua ſcandali, ac erroris cauſa; protinus nos de his omnibus, ac ſingulis certiores fieri, Chriſtianæ pietatis ſtudio, ac religionis zelo curabit.

8 Item, ſi ſciret, aliquem Clericum, vel laicum in concubinatu, vel adulterio permanere; vel in inceſtu, & ſtupro, vel alio ſimili graui delicto; quàm primum nobis referendum curet.

9 Item, ſi cui ſcire contingeret, Clericos, aut Eccleſiaſticas perſonas pacem, & quietem, tranquillitatemq. inter ſe, ac reliquos omnes, omni ſuo conatu minime, vt tenentur, procuraſſe, ſed potius diſcordiarum, ac diſſenſionum cauſas, fomitemve miniſtraſſe, vel eos intempeſta nocte per vias Ciuitatis, ſine legitima cauſa, armatos, vel cum Muſicis inſtrumentis, vel cum habitu laicali vagantes offenderit; huiuſmodi à Chriſtiana diſciplina alienos, & abhorrentes Clericos nobis notum fieri quamprimum, vt curet, volumus, & mandamus.

10 Item, ſi quis ſciret Vicarios, aliosve Officiales, tam noſtros, quàm prædeceſſorum noſtrorum, cauſas, litesve ad Tribunal noſtrum, amore, vel odio adductos, vel vt aliquod inde lucrum, vel vtilitatem quouis modo referrent, introduxiſſe, poſtpoſita interim æquitatis, ac iuſtitiæ ratione, ad nos deferendum curet.

11 Item, ſi cui notum eſſet, aliquem, ſiue Clericus, perſonave Eccleſiaſtica, ſiue laicus is eſſet, cuiuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis, bona aliqua, vineas, fundum, oliueta, aliave prædia, ſiue aliquam pecuniarum ſummam, indebite occupare, [a] quæ vel ad Epiſcopum, vel alias Eccleſias, Hoſpitalia, Monaſteria, Cappellas, Anniuerſaria, aliave Eccleſiaſtica huius Ciuitatis beneficia ſpectarent, eaq. vel ad cenſum (vt dicitur) Emphytheoticum Canonem dediſſe, vel permutaſſe, vendidiſſeve, aut alio quouis modo alienaſſe, in inſigne, ac euidens dictarum Eccleſiarum, ac locorum Diuino cultui addictorum damnum, & incommodum; vel, ſi cui notum eſſet, prædicta bona aliqua in parte à quouis occupata fuiſſe, terminos, ac limites, quouis modo ruptos aut permutatos fuiſſe, Crucem, vel aliquod aliud ſignum inde auferendo, ex quo Eccleſiæ damno, vel incommodo afficiantur, nobis denuntiare quamprimum teneatur.

[a] Cõc. Trid. ſeſſ. 22. c. fin. præallegat.

12 Item, ſi quis ſciret, vel quouis modo noſſet, in hac Ciuitate (quod abſit) aliquem hæreticum reperiri, [b] vel de hæreſi ſuſpectum, qui de rebus ad Chriſtianam fidem ſpectantibus indigne, ac incongrue loqueretur; vel ea, quæ Sancta Romana Eccleſia docet, ac præcipit, omnia non approbaret, vel præcipue, ac ſignanter negaret Summi Pontificis poteſtatem, eam, ac tantam eſſe, qualem, ac quantam Sancta Mater Eccleſia illi tribuit, ad nos protinus deferendum curet. qua in re illos paterna charitate monemus, omnes, qui hæreticum aliquem ſciuerint, nouerintque, nec Eccleſiæ reuelauerint, in eaſdem pœnas, ac cenſuras incidere, quibus ipſimet hæretici tenentur.

[b] c. cum ex iniuncto §. adijcimus, de hæret.

13 Item, ſi quis noſſet, Clericos, ac reliquas Eccleſiaſticas perſonas Eccleſiarum ſuarum reparationi, ac reſtaurationi non ſtudere, ſed negligentius agendo ſemidirutas relinquere, ac ruinam minantes, vel vineas, prædia, ac reliqua ad beneficia ſua ſua ſpectantia inculta eſſe, ac permanere pati, vel negligentius illa colere, nobis notum facere ne negligat, volumus, & mandamus.

14 Item, ſi quis ſciret, in hac Ciuitate, ſiue eius Diœceſi aliquem virum, vel fœminam reperiri, qui incantationibus, [c] ſortilegijs, faſcinationibus, ac alijs huiuſmodi diabolicis inuentis, operam darent, vel fidem adhiberent, à Dæmone, humani generis ſæuiſſimo hoſte illuſi, ac ſeducti; nobis ſtatim, nulla interpoſita mora, notum fieri, Chriſtianæ pietatis ſtudio, ſatagat.

[c] c. nec mirũ c. qui ſine, & c. nõ oportet. vſque in fin. 26. q. 5. & p oẽs alias. q.

C 2 15 Item,

15 Item, ſi ad alicuius cognitionem perueniſſet, in hac Ciuitate aliquem Clericum reperiri, vel aliam quamuis perſonam Eccleſiaſticam, ſæcularemve, qui in aliquod ſacrilegium incidiſſet, in Eccleſia ſancta Dei pugnando, vel cum ſcandalo inſignem aliquam rixam exercendo, vel Clericis violentas manus inijciendo,[a] vel quouis alio modo in tam graue crimen incidiſſe contigerit, nobis quamprimum denuntiari curet.

[a] c ſi quis ſuadente 17. q. q & p tot. q.

16 Item, ſi quis noſſet, ſciretve, in hac Ciuitate, ſiue eius Diœceſi, aliquod contractum fuiſſe matrimonium, non habita ratione impedimentorum conſanguinitatis, affinitatis, cognationis ſpiritualis, aut publicæ honeſtatis, niſi tamen legitimam prius à Summo Pontifice diſpenſationem obtinuerint, contrahentes huiuſmodi nobis ſtatim notum fieri, eo, quo diximus, modo, volumus, & mandamus.

[b] Non ſeruatum for. decret. 5. c. 7. ſeſſ. 24. p tit.

17 Item, ſi quis ſciret, in hac Ciuitate, vel eius Diœceſi publicos aliquos reperiri feneratores, ſiue vſurarios,[c] qui in contractibus ſuis illicitis lucris inhiant, cuiuſmodi ſunt illi, qui oleum, vinum, oues, boues, equos, aliaſve res mercabiles, vel ad tempus vendunt, vel non numerata pecunia, vt maiori pretio illas vẽdere poſſint, quàm ſi numerata ſtatim pecunia vendidiſſent. Huius generis etiam ſunt illi, qui frumentum, vinum, oleum, & alios terræ fructus, ante frumentationis tempus viliori pretio à viris in extrema egeſtate poſitis emunt. Horum ſimiles etiam exiſtimandi ſunt illi, qui pecunias mutuo dant, ea ſpe, vt poſt certum aliquod, ac determinatum tempus, & ſummam mutuo datam, & aliquod inſuper lucrum recipiant. Nec ab iſtis diſſimiles ſunt illi, qui pecuniam mutuo dant, decem ſingulis annis pro centum mutuatis exigentes, loco mercedis, & fructuum, non ſeruatis ſeruandis; ac vſuram publice contra Sacrorum Canonum diſpoſitionem exercentes. Hos omnes, ſi qui fuerint, qui ſcient, ad nos deferant.

[c] Tot. tit. de vſuris.

Et, quia quæcumque à nobis hucuſque commemorata ſunt, à iure damnantur, ac reprobantur, nobiſque pro Paſtoralis noſtri muneris ſollicitudine onus incumbit, animarum ſaluti maturius conſulendi; nec illis opportuna remedia adhibere poſſumus, ac noſtræ conſcientiæ ſatisfacere, niſi prius certiores facti fuerimus: Iccirco omnes, ac ſingulos rogamus in Domino, & obſecramus, monemus, ac hortamur, & pro noſtra ordinaria auctoritate, qua fungimur, præcipimus, ac mandamus, vt ad quoſcumque prædictorum errorum, ac criminum omnium, vel aliquorum cognitio, quomodolibet peruenerit, nobis infra nouem dierum ſpatium, (& terminus plus, minusve prorogari poterit, pro vt loci, & temporis, & perſonarum

dignitas

dignitas poſtulare videb.tur ) notum facere teneantur . quem quidem terminum pro peremptorio , ac pro Canonica monitione aſsignamus ; vt , cùm ad cognitionem noſtram hæc peruenerint, Omnipotentis Dei gloriæ, ac ouium nobis commiſſarum ſaluti conſulere, quantum in nobis eſt , poſsimus , ac conſcientiam noſtram hoc onere leuare . Et, vt hæ noſtræ litteræ , ac monitiones ad omnium cognitionem facilius peruenire poſsint, volumus, vt inter Miſſarum ſollemnia, cum populus frequens ad ſacra conuenerit, publice, alta voce, & intelligibili, in hac Eccleſia Andrien. legantur, & publicentur; & eas ſic lectas, & publicatas columnæ affigi, vel alio in loco conſpicuo dictæ Eccleſiæ poni mandamus, ibique per decem continuos dies permanere; vt facili negotio ab omnibus conſpici, & legi poſsint. Quo termino elapſo, ( cum iam huiuſmodi decretum ad omnium aures perueniſſe veriſimiliter credendum ſit ) omnes aſtringentur, ac ſi perſonaliter eis intimatæ fuiſſent; nec vllo pacto ignorantiæ excuſationem poſtmodum admittemus. Datum in noſtro Epiſcopali Palatio N. Die N. Menſis N. Anno N. Pontif. S. D. N. N. Anno N.

Alias etiam Monitiones generales Viſitator facere poterit, pro vt melius videbitur, habito reſpectu loci, & temporis, & neceſsitatum Diœceſis.

Quibus litteris, ac Monitionibus, ſic lectis, ac publice omnibus inſinuatis, curabit Viſitator, vt per Nuntium, vel Notarium ſuum in Eccleſia, (vt ſupra diximus) publice alicui loco conſpicue affigantur, ac ſtato tempore auferantur; atque hæc omnia in actis Viſitationis illius redigi, ac reponi mandabit; relationemque authenticam in calce ipſarum publicationis, affixionis, & refixionis, Notarius aſcribat.

Abſolutio

## *Abſolutio pro animabus fidelium defunctorum.* *Cap. VIII.*

DEINDE verò ſurgens, & accepto pluuiali nigri, vel violacei coloris, cum mitra ſimplici, miniſtrantibus ſibi primatibus illius Eccleſiæ, incenſum, & aquam benedictam, reliquis verò cum Crucibus præeuntibus ad abſolutionem pro animabus fidelium defunctorum peragendam procedet, ſeruatis cærimonijs, & ritibus, prout in Romano Pontificali ſub rubrica, Ordo ad viſitandas Parochias, Eccleſiam ipſam, vel cæmeterium circumeundo, prout opportunum, & magis neceſſarium eſſe videbitur, & ibi valde particulariter notatur, quæ cærimoniæ, vel cantando, vel legendo, iuxta locorum qualitatem, debent præciſe ſeruari in omnibus Eccleſijs Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus, & vbi fuerint cæmeteria.

## *Viſitatio Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ.* *Cap. IX.*

QVIBVS omnibus ſic præmiſſis, & peractis, accenſis intortitijs ad id prius præparatis, & Archipresbytero, ſiue alio cuſtodiæ Sanctiſſimi Sacramenti præfecto ſuperpellicio, & ſtola induto ibi præſente, cum cæteris Clericis, etiam in quacumque dignitate conſtitutis, ſuperpellicijs indutis, & populo, ac confratribus, & Officialibus Sanctiſſimi Sacramenti, reuerenter aſſiſtentibus, Epiſcopus, pluuiali, ac mitra pretioſis ſuper rochetum cum amictu, Cruce, Paſtorali, ac ſtola indutus, tam ſancto Viſitationis operi ſe accingendo, initium ſumet à Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, (ita enim decet, & ſacri Canones [a] ſtatuerunt, digniora ſemper eſſe præponenda) Cuſtodiamq. ſiue Tabernaculum reſerare imperabit; quod ſuper Altare maius, ſi commode id fieri poſſit, vel ſaltem in loco publico, ac conſpicuo, ac totius templi nobiliori, ac præſtantiori,

[a] Quorundã de elect. in 6. & c. l. quoties de vſu fr.

tiori, eſſe debet. Animaduertat tamen Viſitator, ſi Sanctiſſimũ Euchariſtiæ Sacramentũ extra Altare maius, & in aliquo ſacello permanſerit, in frontiſpicio ipſius non permittat, quòd ſit aliud Altare, ne, quando ibi celebratur, & celebrans, & aſſiſtentes ad Miſſam audiendam terga vertant irreuerenter Sanctiſſimo Sacramento; ac, dum reſeratur, tam Viſitator ipſe, quàm alij omnes capite detecto profunde ſe inclinantes Sanctiſſimum Sacramentum venerabuntur: & intortitijs ſemper accenſis permanentibus Viſitator profunde capite detecto genuflexus ter incenſat, & poſtea cantando intonat, Tantum ergo Sacramentum, Choro proſequente, ſurgat, reuerenter accipiat, & ſuper Altare corporale ſuppoſito collocet, & diligenter videat,

Primò Cuſtodiam, ſiue Tabernaculum, an ſit decens, & ornatum, ac deauratum, iuxta locorum qualitatem, facultatem, ac vires.

An clauis, & reliqua ad illud aperiendum, ac claudendum neceſſaria, ſint integra, bona, ac bene aptata, & concinne diſpoſita.

An dicta Cuſtodia, ſiue Tabernaculum in interiori parte ſit decenter ornatum panno ſericeo abſque vlla immunditia.

An corporale ſubtus ſit ſubſtratum.

An Sanctiſſimum Sacramentum, conſeruetur in pyxide argentea, vel aurea, ſtamneave, & quomodo, & vbi, &, ſi fieri poteſt, ſemper pyxis debet eſſe argentea.

An in interiori parte dictæ pyxidis argenteæ ſit aptatum, & accõmodatum corporale.

An ſit alia pyxis eodem modo corporali intus ornata pro deferendo Sanctiſsimo Sacramento ad Infirmos.

Et iſta pyxis, An ita firmiter occludatur, vt niſi adhibitis manibus aperiri non poſsit, &, ſi accideret, vt pyxis ex miniſtri manibus, vel quouis alio mode laberetur, particulæ exire non poſsint.

An dicta pyxis conopeo ſericeo, auro intexto, iuxta loci facultatem, & vires, ſit ornata.

An intra dictum Tabernaculum aliud conſeruetur præter dictas pyxides, nil aliud omnino ibi ſeruari permittat.

An in dictis pyxidibus, ſeu vaſis ſint ſemper plures particulæ, & tres ſemper ſaltem debent eſſe recentes.

An ſingulis octo diebus ſaltem innouentur.

An, cum innouantur, fragmentorum ratio habeatur.

An ſuper Cuſtodiam, ſiue Tabernaculum, & Altare ſit Vmbella, vel Baldachinum, iuxta vires ac facultates Eccleſiæ, decenter ornatum; ſi non ſit, curet omnino ponendum.

An ſuper Tabernaculum auratum ſit conopeum ſericeum, eo colore, quo ſecundum anni tempus vtitur Eccleſia.

Quibus

Quibus peractis, iterum ter profunde genu flexus incenſet, & proprijs manibus facta profunda reuerentia accipiat, & cantando intonet, *Genitori genitoque, &c.* Choro proſequente, vertat ſe ad populum, Sanctiſſimũ Sacramentum in manibus ante pectus eleuatum reuerenter tenens; &, quando dicitur à Choro, *Sit & benedictio*, populum benedicat cum dicto Sanctiſſimo Sacramento, in modum Crucis circulum finiente, & in Tabernaculum reuerenter collocabit, quod diligenter claudi imperabit; &, his peractis, intortitia extinguuntur.

*Interroget poſtea Viſitator,*

CVI incumbat onus cuſtodiendi Sacramentum.

Quis lampadum expenſas ſubminiſtret, quot accendantur, an ſemper omnes ardeant an verò ſtatis temporibus. In Eccleſijs minoribus, vna ſaltem aſſidue debet ardere, in maioribus plures, ſecundum locorum conſuetudinem, & vires, vt in noſtra Andrien. in qua continuo ardent tres, licet ſint nouem ante Altare.

Quis ceram ſubminiſtret, & an cera vel oleum pro huiuſmodi obſequio tribui ſolitum imminuatur, & an à miniſtris in alios vſus conuertantur.

An claues ſemper ſint apud Parochum, ſiue ſacris Præfectum, vel apud eum, cui incumbit onus cuſtodiendi Sacramentum: nec vllo pacto permittat, vt ſuper Altare, vel Tabernaculum, vel intus Sacriſtiam in publico relinquantur; vt nonnulli negligentes facere conſueuerunt.

Quo in vaſe, quove in loco fiat Cuſtodia in Hebdomada ſancta, quomodo, à quibus, quo apparatu, qua reuerentia, quave pietate, quot luminibus, cera, ſiue oleo ardentibus, cuius expenſis, qua vigilantia, quave cuſtodia id fiat, & à quibus.

Si ibi ſit Societas, iubeat eos miniſtros domum ad ſe venire cum ſuis ſtatutis, priuilegijs, libris, ac rationibus redditũum, ac expenſarum omnium, quæ quotidie fiunt, quas diligenter inſpiciet, corriget, & emendabit, [a] & (ſi neceſſe erit) miniſtros ipſos admonebit, vt diligenter ſuo munere fungantur, docebitq. in quos vſus huiuſmodi redditus ſint impendendi.

[a] Videas infra in Viſit. Confrater. & ſocietatum, ſuo proprio tit. ead. part. prima.

Si verò huiuſmodi Societas ibi non ſit inſtituta, curabit, vt inſtituatur.

An ſint ſcabella, ſiue oratoria circa Altare maius, vel locum, vbi Sanctiſsimum Sacramentum reconditur cum ſuis ornamentis; &, vt orantes genuflectere poſsint, & ſacra Communio miniſtrari poſsit.

Quomodo

## *Quomodo in Eccleſia adminiſtretur Sanctiſsimum Sacramentum. Cap. X.*

SANCTISSIMVM hoc, ac præſtantiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum, à Domino noſtro Ieſu Chriſto inſtitutum in extrema illa Cena, quam cum Apoſtolis ſuis manducauit, cum iam morti eſſet vicinus, ac mundum relicturus, tranſiturusq. ad Patrem, in pignus Amoris, ac paternæ dilectionis in Eccleſia ſua ab eo Sacratiſsimum corpus ſuum relictum fuiſſe, ipſiuſmet Saluatoris noſtri verba teſtantur, qui nos id in ſui memoriam facere præcepit; prætereaq. ſemper frequens illius vſus in Eccleſia Sancta Dei laudabilis fuit, ac valde à Sanctis Patribus commendatus. eſt enim veluti firmiſsimum quoddam aduerſus hoſtes omnes, tam viſibiles, quàm inuiſibiles, tutamen, & pharmacum quoddam ſpirituale, quod nos à peccatis etiam præſeruat, ac Deo coniungit, illiusq. gratia dignos efficit, ac propterea dæmones, horribiles, ac formidoloſos reddit. verum enimuero, quando multi, & miniſtrorum negligentia, & communicantium iniuria, irrepſerunt abuſus, quanto huius ſacramenti dignitas maior eſſe dignoſcitur, tanto diligentius Viſitator in his, quę ad illius cultum, ac adminiſtrationem pertinent, elaborare debebit, vt omnes abuſus tollat, & vt Sancta ſanctè, & pie tractentur propterea q. conuocatis ijs, qui Sanctiſsimum Sacramentum in Eccleſia miniſtrant, hoc modo eos interogare poterit:

An, quando Sanctiſsimum Sacramentum miniſtratur, ſuper ſcabella, ſiue oratoria extendantur mappæ mundæ, ſiue mantilia; vt communicaturi, ea mento ſupponere poſsint.

An, qui miniſtrat Sanctiſsimum Sacramentum, ſuperpellicio, ſiue cotta cum ſtola ſit indutus. Nec aliter fieri permittat.

An, cum miniſtratur, certa lumina ardeant ſemper cereis accenſis.

An communicaturi, genu flexo, capitibus detectis, pie, & humiliter, & orantes maneant.

An miniſter ſermonem ad communicaturos habeat, & qua de re in eo agat, & quomodo exprimat; & ipſe Viſitator audiat.

An, poſtquam eis, quid, & quanta res agenda ſit, inſinuauerit, generalem Confeſsionem præmittat, quæ ſemper eſt præmittenda.

D Qui

Qui ſit modus miniſtrandi, exprimat, & Viſitator audiat.

An ſaltem Clericum ſuperpellicio indutum coadiutorem adhibeat.

An vaſe à ſacro calice diuerſo, pro oris ablutione vtatur.

An ſubſtrata mappa munda labia eos abſtergere faciat, an vero alio mantili ad id deputato, & quo modo.

An homines diuiſim à feminis communicent. Si commode id fieri poſsit, laudabile prorſus eſt, & obſeruandum.

In communicando populum Feria V. in Cena Domini, & in die Paſchatis, cum totus populus ad communicandum conuenit, quomodo, quaue ratione vtatur, exprimat.

An in cedulis fidem confeſsionis, & abſolutionis à communicandis exigat; vt Eccleſiæ præcepto [a] ſatisfactum eſſe certus ſit.

a c. vtriuſque ſexus de pœn. & remiſſ.

An, qui numquam alias communicarunt, prius inſtruantur.

Si qua irrepſerit ſuperſtitio, tollatur.

An, qui in Paſchate communicarunt, dent nomina, & an ſcribantur, notenturque.

An externi etiam, & aduenæ ſcribantur ſeorſum etiam in alijs Eccleſijs collegiatis.

An incaute, & nulla adhibita diligentia, externis non confeſsis, & incognitis viris adminiſtretur Sacramentum.

An publice peccantes, excommunicatos, viros armatos, & alios huiuſmodi ad ſacram Communionem admittat.

## *Cum ad infirmos [b] defertur. Cap. XI.*

b Cōc. Trid. ſeſſ. 13. c. 6.

INTERROGET, & perquirat ſuper hoc:

An, quando deferendum eſt, prius campana pulſata populo ſignū detur, aut alio quouis modo; prout loci illius conſuetum eſt.

An deferatur in vaſe firmiter clauſo, conopeo, ſeu velo ſericeo cooperto.

An intus in vaſe illo ſaltem ſint tres particulæ.

An vas illud tale ſit, vt, ſi quo caſu è miniſtri manibus decidat, Sacramentum non exeat.

An miniſter illud deferens ſuperpellicio, ſtola, ac pluuiali ſecundum vires locorum ſit indutus.

An conſueuerint velum ſuper humeros miniſtri deferentis imponere; cuius extremitatibus, vas, in quo Sacramentum defertur, contegatur.

An ſub

An ſub Baldachino decenti, iuxta Eccleſiæ, ac loci facultatem, ac opes, incedat. Procuret Viſitator, quod aliter non deferatur, quam ſub Baldachino.

An multi illud comitentur; an Clerici cum ſuperpellicijs, nec ne; an fratres Societatis ſaccis induti; an verò populus frequens; & tunc, an cum luminibus accenſis, vel ſine.

An luminaria contis auratis infixa præferantur.

An Clerus cum ſuperpellicijs, cruce, & campanello præcedat, & ſeniores, digniores ſubſequantur; prout in noſtra Eccleſia Andrien. reuerenter, & deuote ſeruatur, & etiam in Parochijs alijs.

An moneantur populi, vt, cum otioſi, & nulli operi addicti ſunt, ad illud comitandum frequentes conueniant.

An, prætereunte Sanctiſsimo Sacramento, qui in domibus ſunt, audito ſigno campanellæ, ſaltem genuflectant, orantes, & illud venerantes.

An inter eundum, & redeundum, Hymni, Pſalmi, & orationes dicantur, vel cantentur, & quænam, ſi cantatur. Debet cani Hym. *Pange lingua, &c.* prout hoc bene ſeruatur in prædicta noſtra Eccleſia Andrien. & Parochijs.

An miniſter deferens, oculos ne latum quidem vnguem à Sanctiſſimo Sacramento remoueat.

Domum infirmi ingreſſus, quid faciat, Viſitator interroget.

Qui modus in miniſtrando, quidve infirmo dicat.

An, priuſquam illi Communionem miniſtret, ad orationem, & confeſsionem præmittat; & an prius verbis ad id idoneis infirmum hortetur. Hæc omnia præmitti debent.

An alijs cærimonijs, & ritibus vtatur; &, quinam ſint, exprimat.

An pannum paruum ante pectus infirmi ponendum curet.

Si fragmenta ſuperſint, an illa in Eccleſiam referant, an verò infirmo ſumenda tribuat.

An, facta digitorum ablutione, fragmenta infirmo miniſtret, aut quomodo.

An moneat, & hortetur infirmum, vt inditam à Deo Omnipotente gratiam ſibi conſeruet.

An, vt de peccatis poſtea commiſsis intimo cordis affectu doleat, & confiteatur, eundem hortetur infirmum.

An moneat adſtantes, vt pro infirmo orent.

Cùm ab infirmo diſcedit, quid faciat, tum, cum ad Eccleſiam reuertitur, quid identidem agat.

Cùm iam ad Eccleſiam peruentum eſt, an, priuſquam Sacramen-

tum reponat, illud manibus tenendo, populo benedicat, ſeruet pro vt ſupra dictum eſt in Viſitatione Sanctiſſimi Sacramenti c. 9.

An indulgentias, quas ij, qui affuere pio operi, conſecuti fuerunt, publice alta voce, & intelligibili enunciet, vbi à Summis Pontificibus conceſſæ fuerunt.

---

## *Cum proceſſionaliter circumfertur in ſollemnitate Sanctiſsimi Corporis Chriſti. Cap. XII.*

IN cum luminibus accenſis, & decenti numero deferatur; an velum, Baldachinum, & aliæ cærimoniæ Diuino cultui aptæ, & neceſſariæ adhibeantur; an, qui illud defert, ſuperpellicio, ſtola, & pluuiali ſit indutus.

An in Tabernaculo oſtenſorio argenteo, inaurato, decenti, deferatur, & quo modo.

An in interiori illius parte, Lunula aperta, in qua Sanctiſſimum Sacramentum ita teneri poſſit, vt ab omnibus cernatur.

An per vias quaſdam decentes, diſtinctas, & ornatas circumferatur.

An in illis vijs apponantur, ſternāturve panni laſciui, vel aliæ res indecentes, quæ riſum potius, quàm pietatem excitent.

An aliqua ſuperſtitio, vel aliquid indecens hac in re committatur.

An dicta proceſſio fiat diebus ferialibus; ſi fiat, tunc claudantur officinæ, donec proceſſio finita fuerit.

An fiat poſt prandium. Curet, ne fiat, ſi fieri poteſt, vel ſaltem fiat poſt veſperas.

Quid cantetur, tum quæ orationes dicantur.

An inter eundum miniſter illud in aliquo loco quieſcendi gratia, vel aliqua alia de cauſa reponat. Sit locus ille decens, ornatus, fiat incenſatio, & reuerentia ſemper.

Quo pacto in Eccleſia referatur, reponatur, ac conſeruetur.

Ne extra horas Canonicas ſuper Altare relinquatur diu noctuq. vt videatur extra ſolitum Tabernaculum; vt in aliquibus Diœceſibus obſeruatur, & male; ſed reponatur in illo, ſub claui, & tuta cuſtodia.

Mandet, prædicta, ſi qua deſunt, infra competentem terminum fieri; deſides, ac negligentes in prædictis corrigat.

## *Viſitatio ſacrorum Oleorum. Cap. XIII.*

SOLENT in nonnullis Eccleſijs Olea ſacra in Altare maiori cõſeruari, in aliquibus in loco ſeorſum ab Altari, ſed tamen prope illud: in alijs ſeruantur in Cuſtodia ſacrarum rerum, quam Sacriſtiam, ſiue Sacrarium vocant: in alijs tãdem intra ipſummet Fontem Baptiſmalem cuſtodiuntur. Vbicumque reponantur, bonum, & ſalutare inſtitutum eſt, dummodo debita eis reuerentia exhibeatur. Sed, quoniam longe ſatius eſſet, & melius, adhibitis luminibus aſſidue ardentibus ea conſeruari, propterea ad minuendos ſumptus, præcipue ſi Eccleſiæ illius cẽſus eſſet exiguus, præſtaret, huiuſmodi ſacra Olea, vel poſt Altare, ſuper quod Sanctiſſimum Sacramentum reponitur, & cuſtoditur, vel certe ibidem prope collocare: atque hoc fieri magis mihi probatur, ac placet. nam illæmet lampades, quæ aſſidue ante Sanctiſſimum Sacramentum ardent, cuſtodiendis quoque ſacris Oleis inſeruire poſſent.

Prælatus itaque, ſiue Viſitator, huiuſmodi cœptæ Viſitationi inſiſtẽdo, per Sacriſtam, ſuperpellicio, ac ſtola indutũ, locum, vbi ſacra Olea conſeruantur, aperire imperabit, & præſentibus Coaſſumptis, & Notario, diligenter ipſe per ſe omnia inſpiciet, ac conſiderabit, interrogabitq. ac requiret, vt infra; videlicet:

An locus aptus, decens, clauſus, tutusq. ſit.

An clauis, & ſera tuta, bene ſeruiens.

A quo, & vbi nam conſeruetur clauis. Caueat, ne ibidem, vel in aliquo loco relinquatur, vt ab omnibus poſſit accipi.

An Olea noua, & ſufficientia ſint.

An vaſa ita integra ſint, vt Oleum non fundant.

An omnia in vno vaſe, vel ſeparatim conſeruentur.

Quia Chriſma, & Oleum cathecumenorum debent in vno vaſe, licet diſtinctè, conſeruari, & in alio Oleum infirmorum tantum.

An cum goſſipio, bombyceve ſeruentur.

An vaſa ſint ſtannea, vel argentea, non autem ænea, propter rubiginem, aut vitrea, ne forte frangerentur, ac ſanctum Oleum funderetur.

An bene clauſa, vt non poſſint aperiri, niſi proprijs manibus; & tecta ſint illa vaſa, vt ab immunditijs illæſa conſeruentur ſancta Olea.

An ſingulis annis innouentur, & vetera comburantur.

In Pa-

## *In Parochijs extra Cathedralem ſic interroget Parochos. Cap. XIV.*

AN ſingulis annis à Cathedralis Eccleſiæ Præfecto, ſiue alio, cui id competit, ſacra Olea recentia ſibi tradi curent; cumq. ea ad Eccleſias ſuas deferũt, an ſuperpellicio induti, & adhibitis luminibus id faciãt.

An reuerenter huiuſmodi ſacra Olea, cum ad Eccleſiam ſuam peruenerint, recipienda curent, ac debitum illis honorem exhiberi.

An Parochi dent aliquid, quando ea accipiunt, loco mercedis, vel premij.

An poſtea ipſi aliquid pro illorum aſportatione, & collatione Sacramenti accipiant.

An ſuperpellicio, & ſtola induti, & adhibito lumine illud miniſtrẽt.

An ſacra Olea alicui in vſum medicinæ corporalis, vel ad veneficia, faſcinationesq. dentur.

An aliud Oleum admiſceant, & quantum.

Quo modo ad fontem, & ad infirmos deferant.

An ſericeo panno inuolutum ſuperpellicio, & ſtola induti circumferant.

An capite detecto, & cum lumine, & Clerico ſaltem præeunte: vbi talis viget conſuetudo.

An gratis, diligenter, & prompte illud miniſtretur.

An, quandocumque petitur, etiam intempeſta nocte ad infirmos deferant.

An ſeruentur cærimonię, & ritus Sanctæ Eccleſiæ.

An iuxta illam formam, quam eademmet tradit Eccleſia, ita ab illis miniſtretur, vt ab ipſa ne latum quidem vnguem recedant.

An bombyx, qua tergitur infirmus, in Sacrario vratur; ſic etiam illud, quo infantis frons abſtergitur, comburi debet.

An vno, & eodem goſsipio, ſiue bombyce, vel ſtuppa loca vncta tergantur. Ne fiat, ſed ſemper mutetur.

Moneantur Parochi, vt commendationi animæ agonizantium adſiſtant, quantum fieri poteſt, & vt populo frequenter declarent cærimonias, & vim huius Sacramenti, vt ſciant, quid ægrotantibus proſit, ac nouerint, quo tempore, quave de cauſa ſit ſumendum.

In

In Cathedralibus autem, & in oppidis inſignioribus; vbi commode id fieri poteſt, inſtituatur Congregatio piorum virorum, qui ſemper agonizanti aſsiſtere teneantur, eumq. vſque ad extremum vitæ adiuuare. Quod ipſe in Ciuitate Andriæ faciendum inſtitui, & nouandum curaui.

Primusq. ego tam pio operi exercẽdo, cæteris præiui, ac Chriſtianæ pietatis exempla, Cruc fixum in manibus tenẽs, agonizantem verbis, & exemplis adiuuando, monſtraui. Quibus ſic per eum conſtitutis, omnia in Actis Viſitationis redigi curabit, mandabitq.

Mandet præterea Parocho, vt adſtantes moneat, vt pro infirmo, & agonizante orent, ipſumq. in huiuſmodi vltimo Spiritus, ac vitæ conflictu adiuuent, ac corroborent.

Et, quot deſides, negligentes, & culpabiles in prædictis ſacris Oleis conſeruandis, & miniſtrandis inuenerit, corrigat, emendet, &, ſi videbitur, puniat, ac caſtiget, iuxta decreta Sacrorum Canonum, & Conſtitutiones Synodales locorum.

---

## *Confirmationis Sacramenti miniſtratio, & Viſitatio. Cap. X V.*

INTER Epiſcopalis Officij munera præcipuum eſt Sacramenti Confirmationis miniſtratio, quod Sacramentum à ſolis Epiſcopis, tanquam Sanctorum Apoſtolorum ſucceſſoribus, miniſtratur. Conſueuere tamen Prælati omnes pro eorum, & Diœceſis commoditate, illud ſemper in Viſitatione miniſtrare, cum vnico quaſi actu poſsit, & Viſitatio fieri, & Confirmatio pueris, & adultis miniſtrari. [a] Ideo, ſi in Ciuitate, vel oppidis ſuæ Diœceſis cognouerit Epiſcopus Viſitator, illo opus eſſe, cum omni charitate paterna ouibus ſuis miniſtrabit. Propterea, viſitato Sanctiſsimo Sacramento Euchariſtiæ, & ſacrorum Oleorum; ſi tempus ſupererit, ante prandium poterit pueros confirmare, & ſic continuando ipſe Epiſcopus (vt ſupra) indutus Pontificalibus veſtibus, & mitra, & ſeruatis prius omnibus cærimonijs, & monitionibus in Pontificali Romano deſcriptis, in principio ipſius, dictum Sacramentum miniſtrabit. Mandabitq. Archipresbytero, vel cui hoc onus incumbit, quod omnes Confirmatos, eorumq. Patres, & Matres, & illos, qui in Confirmatione pueros tenent, cum ſuis nominibus, & cognominibus

[a] Ita Sanctus Greg. Papa lib. octauo Epiſt. 46.

gnominibus

gnominibus in libro deſcribat, illumq. cum alijs Libris conſeruet.

Quando vero extra tempus Viſitationis Epiſcopus hoc Sacramentum miniſtrare voluerit, curet, ſi fieri poteſt, vt in Diebus Pentecoſtes fiat.

Epiſcopus Archipresbyteros ſedulo moneat, ne negligant populos ſibi commiſſos monere, ne hoc Sacramentum ſuſcipere prætermittāt; & adulti confirmandi prius confiteantur; & hoc negligentes Canonicis diſciplinis corrigantur.

---

## *Viſitatio Fontis Baptiſmalis. Cap. XVI.*

EXPLETA ſacrorum viſitatione Oleorum, Fontem Baptiſmalem inuiſere debet. In cuius quidem viſitatione hæc præcipue conſiderāda proponuntur. Qualis Fons eſſe debeat. Quo in loco reponendus, qua ratione tenēdus, cuſtodiendusve ſit. Quomodo exercitandum, ac miniſtrandum ſit Baptiſmi Sacramentum; & quæ cærimoniæ adhibendæ. Quæ omnia, vt clara, & perſpicua fiant, & vt omnes intelligant, quæ ad ſaluberrimi huius Sacramenti cognitionem pertinent, placuit hęc interrogata proponere, quibus Viſitator vti poterit.

An locus, vbi ſacer Fons manet, ſit commodus, decens, ornatus, & conſpicuus.

An Fons ipſe lapideus, ſtabilis, rotundus, integer, eleuatus, & bene ſculptus ſit; vt & ſpectantibus pietatis ſpem exhibeat, nec facile dimoueri poſſit, ne caderet, ac aqua funderetur.

An opertus, mundusq. ſit, pyramideq. ornatus, ſine rimulis, ne in ſacrum Fontem immunditiæ cadere poſsint.

An conopeum pictum, ac decenter ornatum ſuper pyramidem extendatur.

An clauſus vndique, tutus, & ligneis cancellis circumdatus ſit.

Animaduertatur, ne lapis ille, ex quo Fons Baptiſmatis conficitur, aliquo tempore ſepulturæ gentilium inſeruiuerit in vſum, neve ſigna aliqua ſculpta, aut inſcriptiones profanæ ibi conſpiciantur; ſed illarum loco, piæ tantum hiſtoriæ reponantur.

An ſub pyramide bene clauſa ſit aliud tegmentum ligneum ſupra Fontem, cum clauſura tuta.

An aqua clara, mūda, & ſine ſordibus ſit, tātaque, vt ſufficere poſsit.

An

An fuerit ſacrata, admixtis ſacris Oleis, debitis Sanctæ Eccl. ſiæ temporibus, & cærimonijs.

An vaſculum mundum ad Aquam fundendam, decensq. ibi ſit. In Eccleſijs autem inſignioribus, vbi id commode fieri poterit, debet eſſe vaſculum, aut cochlear argenteum, quo Aqua Baptiſmatis ſuper Baptizandi caput, Eccleſiæ ſanctæ more, fundatur. Sed valde laudamus, vt hoc fiat cochleare argenteo ad id deputato, & intus Fontem conſeruato, prout in noſtra Cathedrali Eccleſia Andrienſi, & Parochijs obſeruari mandauimus in prima Viſitatione, & laudabiliter, & reuerenter obſeruatur.

An Arca, ſiue capſula nucea decenter ornata cũ goſsipio, ſiue bombyce, & linteis ad extergendum, ibidem conſeruetur.

Si Olea ſacra ibidem intus Fontem conſeruentur; viſitentur, vt ſupra dictum eſt in viſitatione Oleorum, cap. 13.

An ibi Sal, an vero alibi ſeruetur, ne nimiam humiditatem contrahat.

An ſit Sacrarium iuxta Fontem decenter coopertum, in quo lotiones manuum, & alia proijciantur.

---

## *Aqua Baptiſmatis viſitatio.* *Cap. XVII.*

POST Viſitationem Fontis, & eorum, quæ ad eum pertinent, Aquam quoque Baptiſmatis inuiſet Viſitator, ac de ea, ordine, qui ſequitur, perquiret, ac interrogabit: videlicet:

An Aqua ſuis temporibus innouetur, &, quæ prius ibidem fuerat, in ſacrarium proijciatur.

An adhibeatur Sal benedictum, an mutetur; & an detur Laicis.

An in collatione Sacramenti aliquid accipiatur quouis quæſito colore.

An huius Sacramenti adminiſtratio in Eccleſia tantum fiat.

An cum ſuperpellicio, ſtola, lumine, libro, & alijs cærimonijs, iuxta ritum Eccleſiæ, adminiſtretur.

An, cum ſacra Olea ex loco deferant ad Sacrum Fontem, reuerenter, & cum lumine præcedenti deferantur.

An prius perquiratur, ſi infantes fuerint baptizati domi, & quomodo, & à quibus. In quo non parua eſſet adhibenda diligentia, ne Sacramentum Baptiſmi iterari contingat.

An examinentur obſtetrices, vt certo ſciri poſsit, an formam Baptiſmi nouerint, nec ne.

Si neſciant, an doceantur patria lingua.

An publice in Eccleſia moneantur mulieres, ne Baptizent, ſi viri facultas commode haberi poſſet, aut alterius dignioris perſonæ.

An curent, vt vnus tantum, ſiue vnus, & vna ad ſummum, iuxta Sacro ſancti Conc. Trid. decreta, [a] Baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant.

[a] Seſſ. 24. c. 4. de refor. & c. nō plures de conſ. diſt. 4.

An duos viros, duas ve mulieres ſimul infantem ex ſacro Baptiſmatis Fonte ſuſcipere permittat.

An, qui Baptizatum ſuſcipiunt, ex voluntate parentum eligantur. Curet omnino, vt ex eorum voluntate, ac certa ſcientia eligantur.

An ad ſuſcipiendos Baptizatos admittantur omnes, non habita ratione ætatis, & peritiæ.

An regulares, [b] & neſcientes rudimenta fidei. Nequaquã admittat.

[b] Non liceat. ca. Monachi de cōſ. diſt. 4.

An excommunicati, & non confeſſi tempore Paſchatis. Nec admittat.

An moneat illos, qui tangunt tantum puerum, & non tenent in fonte, non contrahere affinitatem ſpiritualem.

An admoneat ſuſcipientes de officio, & onere ipſorum.

An de cognatione contracta, & impedimentis eius in contrahendo matrimonia, exprimant Parochi, quæ iſta ſint impedimenta, quæve ſuſcipientium officia, & onera.

An moneant parentes, ne per annum ſecum habeant infantes in lecto. Prohibeant, ne fiat.

An puerperæ benedictionem ſuſcipiant in Eccleſia.

Quomodo illa fiat; & an Parochi aliquid ab eis accipiant. Exprimant.

An aliquando declarent Parochi Eccleſiæ cærimonias populo. Si ſint idonei ad id faciendum, videant.

An faciant Librum Baptizatorum, & Confirmatorum, ſcribendo Patrem, & Matrem Baptizati, & nomẽ ipſius Parochi, ac etiam Baptizantis, & leuantis, diem, & annum.

An faciant etiam Librum eorum, qui contrahunt matrimonia.

An moneant populum, quod in ligando, vel ſoluendo faſciam lineã Baptizati, vel Confirmati, non contrahitur affinitas ſpiritualis [c].

[c] Conc. Trid. ſeſſ. 24. ca. 2. de reformat.

Tandem moneantur Parochi, vt gratis, & ſincere Sacramentum hoc adminiſtrent, cum vehementi, quo ad eius fieri poteſt, intentione regenerandi hominem in Chriſto, & faciendi quod facere intendit Eccleſia, ad laudem, & gloriam Dei Omnipotentis.

Reliquiarum

# *Reliquiarum Sanctorum viſitatio.* *Cap. XVIII.*

IN illis Eccleſijs, in quibus Sanctorũ Reliquiæ erunt, ſtatim completa Viſitatione præmiſſa Sacramentorum, expediet prius Sanctorum Reliquias viſitare, antequam maioris Altaris, ac Eccleſiæ viſitatio fiat; ac præcipue, ſi huiuſmodi Reliquiæ ſuper Altare maius conſeruentur, ſicuti in noſtra Andrien. Eccleſia, in qua mille, & trecentæ Reliquiæ plus minus, partim conſpicuæ recluſæ, & apparentes in Icona, partim vero in Sacrario in uaſibus, & thecis argenteis, & eburneis margaritis ornatis, portatilibus conſeruantur: quarum omnium à nobis index libellus eſt confectus, quoniam prius non erat, & in Libro Viſitationis deſcriptus, & in fine Noui Officij, & Miſſæ Sancti Ricardi primi Epiſcopi Andrien. per nos compoſiti, & iuſſu Fel. Mem. Sixti PP. V. Romæ ad noſtram inſtantiam impreſſi, imprimi Alphabetico ordine curauimus, ad perpetuam memoriam; vt fieri conuenit, ac rationi conſonum eſt. Vt igitur huiuſmodi Viſitatio recte peragi poſſit, & omnes ſuo munere fungantur, Viſitator, præſentibus, & adiuuantibus Deputatis, conuocatis illius Eccleſiæ dignitatibus, Sacriſtis, ac ijs, quibus onus illas Reliquias conſeruandi incumbit, eos interrogabit, vt infra.

An habeant indicem libellum omnium Reliquiarum. Exhibeant, ſi habent, & legatur, & videatur diligenter, ſi integræ, & omnes ſint, ne deficiant, & ſi bene conſeruantur; ſi non habent, faciendum quamprimum curet, ac mandet.

An ſepultæ, & quæ non videntur, habeant ſignum deſuper.

An non ſepultæ in capſa cum vitro, aut alias, in Reliquiario, vel alibi clauſæ conſeruentur.

An vas, in quo conſeruantur, ſit mundum, conſpicuum, ſiue diaphanum, & clauſum.

An locus ſeparatus, mundus, non humidus, & clauſura tutus.

Videantur claues, ſi bene ſeruiunt; & quæratur, vbi, & apud quos maneant.

An ibi lumen, iuxta Eccleſiæ facultatem, ardeat, vbi Reliquiæ conſeruantur, ſi non ardeat, videat, an accendi debeat.

*Videantur.*

NOMINA, documenta, certitudo, antiquitas illarum Reliquiarum, ex quibus certæ ſunt ſcribendæ, & vſu receptæ à non receptis ſeparandæ.

Si non ſint documenta, & non habeant nomen; fiat Congregatio Theologorum, aut in Concilio Prouinciali diſcutiendum proponatur, vel Sacra Congreg. Rom. per litteras conſulatur.

Fiat, ſi commode fieri poteſt, Sermo de Veneratione ipſarum, iuxta Concilium Tridentinum a.

a Seſſ. 25. c. de inuoc. & venerat & reliq.

Quod ſi eſſent oſtendendæ ſuper Altari in Reliquiario, tunc vocetur Sacerdos, cui incumbit onus illas cuſtodiendi; & interrogetur, vt infra.

*Circa Reliquias oſtendendas,*

QVOMODO exponi, & reponi in ſuis diebus feſtis ſoleant. An à ſacerdote, & à quo, an cum ſuperpellicio, ſtola, & luminaribus.

An tunc cantetur Hymnus, & qualis, mandabitque, quem iam volet, nec alium cantari permittat.

An cuſtodes ſint presbyteri approbati, non autem pueri.

An ſit aliqua ſuperſtitio in ueneratione illarum.

An, quo die oſtenduntur, fiant comeſſationes, vel quid profanum.

An quid tumultuarium, inhoneſtum, an præpoſterum, contra Concilium, & Canones.

An à ſæcularibus eas tangi permittatur. Caueant. ſed videndas tantum exhibeant viris autem, ſiue fæminis inſignibus, vas tantum deoſculandum præbeant.

An vendantur, vel donentur. Prohibeatur ſub cenſuris.

Claues Reliquiarum, vbi, & apud quem.

Reliquiæ oſtenſoriæ, vbi fieri poteſt, mandet, quod conſeruentur in capſulis, ſeu tabernaculis argenteis, vel æneis deauratis cum vitro, vel cryſtallo diaphano.

Prohibeat, ne Reliquiæ incertæ, quæ non habent inſcriptionem ſui proprij nominis, aliquo pacto oſtendantur, ſed tantum reuerenter conſeruentur.

Moneatur Parochus, vt fideliter, & deuote ſe gerat, & ipſas non oſtendat abſque cærimonijs prædictis, & habita licentia à Reuerendiſſimo Domino, & ad nullum quæſtum.

Et, ſi

Et, ſi prædicta omnia non ſic bene diſpoſita, & accommodata inuenerit, mandet, vel prohibeat, vt fiant, prout res, tempus, ac locus poſtulabunt, cum pœnis Canonicis, & termino, arbitrio Viſitatoris, iuxta qualitatem rei, & loci, præfigendo.

---

## *Viſitatio Altaris maioris.* *Cap. XIX.*

### Die N. Menſis N. 1586.

REVERENDISSIMVS Pater Dominus N. Epiſcopus N. Viſitationem iam cœptam proſequendo vna cum prædictis Coaſſumptis contulit ſe ad prædictam ~~Reuerédiſſimum~~, & poſt Aquæ benedictæ aſperſionem, factaq. oratione cum profunda reuerentia ante Sanctiſſimũ Sacramẽtum ibidẽ præſentibus R.R. N. N. Archidiacono, &c. & N. Sacriſta viſitauit Altare maius ipſius Cathedralis Eccleſiæ, quod inuenit in capite ipſius Eccleſiæ ex parte orientis ſub Tribuna fornicata ſculpta, poſitum, lapideum, firmumque, conſecratum, & ex omni latere circumdatum, ſupra quod repoſita eſt Cuſtodia deaurata Sanctiſſimæ Euchariſtiæ iam viſitata. Ecclesiam

Habet pallium damaſci rubei cum Cruce aurea, & inſignibus, vel armis N. habet tres mappas.

Videatur, ſi adſunt infraſcripta, &, ſi deſunt, mandet cum termino conuenienti, vt fiant.

An Altare ſit, vt ſupra dictum eſt.

An ſupra habeat vmbellam, & quam.

An ſint gradus, & quanti.

An habeat planitiem ante ipſum.

An habeat bradellam ligneam, & firmam.

Quot mappas. Ad minus tres mundas; ſed ſuperior ita oblonga ſit, quæ vſque ad imam Altaris partem pertingat.

An habeat Crucem argenteam, æneam, vel ligneam, deauratam, vel pictam in medio, & quæ, vel qualis ſit, deſcribat omnia ſigillatim.

An deſuper extendatur tela viridis, vel alterius coloris, ſiue corium, aureum, vel coloritum, ad arcendam puluerem.

An habeat tabellam, continentem Secreta Miſſæ, cum tabula lignea bene conglutinata.

Videat,

Videat, curetque, vt Altare nullis prorſus immunditijs, vel puluere ſit infectum.

An habeat Candelabra ornata, & decentia, & quæ ſint, an argentea, ænea, vel lignea.

An habeat puluinaria diuerſorum colorum, quibus diuerſis temporibus vtitur Eccleſia. Duo ad minus cuiuſlibet coloris eſſe debent.

An habeat Pallia omnium pariter colorum, quibus Eccleſia vti cõſueuit, & quot, quæ eſint.

An habeat identidem tot Planetas, & dalmaticas dictorum colorum, cum ſuis ſtolis, & manipulis.

An habeat Miſſale nouum Romanum, cum ſuis ſignaculis.

An tegumenta Miſſalis eorumdem colorum, quos diximus, habeat & quot.

Quot Albas, quot Amictus, quotve Cingulos habeat ad vſum prędictorum paramentorum, quando cantantur Miſſæ conuentuales, & ſollemnes.

Quot Corporalia, quotve Purificatoria.

Quot Calices, & qui ſint.

Quot Burſas, vel Capſulas ſericeas pro conſeruandis corporalibus.

Quot Vela ſericea diuerſorum colorum, quibus Eccleſia diuerſis anni temporibus vtitur pro Calice cooperiendo.

An ſit Turibulum, cum acerra, ſiue nauicella, & cochleari argẽteo. In Eccleſijs autem, quarum cenſus eſt exiguus, ſit ſaltem ex aurichalco.

An ſit Tintinnabulum pro eleuationis ſigno dando.

An ſint Tapeta ad vſum cooperiendi ſcabellum.

An ſint Vrceoli duo argentei vel vitrei, cum Bacili argenteo, vel ex aurichalco, iuxta facultates Eccleſiæ.

An ſint Candelabra lignea deaurata, pro eleuatione Hoſtiæ. In Cathedralibus ad minus quatuor eſſe debent.

Reliqua videantur in Viſitatione Sacriſtiæ. Hæc tantum ſufficiant pro ornatu Altaris maioris.

An prope Altare maius ſit Abacus, ſiue Credentia, pallio, & mappis mundis cooperta, & ornata decenter.

*Viſitatio*

## *Viſitatio Iconæ Altaris maioris. Cap. XX.*

QVA QVIDEM Viſitatione Altaris maioris,ſic hoc ordine præſcripto peracta, æquum eſt,vt ſuſpiciens Viſitator, Iconam quoque inuiſat,an recte diſpoſita ſit, an decenter ornata, an vero vetuſtate corroſa,atque labefactata ſit. In qua quidem Viſitatione, vt facile omnia exequi poſsit, hunc, qui ſequitur, ordinem ſibi obſeruandum poterit proponere. Primo, longitudinem, latitudinemq. ipſius Iconæ in libro Viſitationis deſcribendam curabit, conſiderabitque, an firmiter infixa ſit, ac ita immobilis permaneat, vt non facile remoueri poſsit, nec per ſe decidere. Deinde ſigna, ſiue figuras omnes deſcribet, quo ordine ſint diſpoſita, & quot numero ſint.

An pietatis, & religionis ſpeciem, habeant, ita,vt intuentes ad pietatem prouocent.

Deſcribatque, quis eam faciendam curauit, & cuius expenſis facta reperitur, ſi memoria haberi poterit. Qua in re diligenter animaduertet Viſitator, ne alia ſigna, præterquam Sanctorum, in ea, ſi fieri poterit, effingantur, ac ita delineentur, ac pingantur, ne ore, aut corporis diſpoſitione, geſtuve, aliud, præterquam pietatem, præſeferant.

Poſtea, ornamenta, quæ vndique circa ipſam ſunt, aſpiciet, ac diligenter conſiderabit.

An Diuino cultui apta,& congruentia ſint; prouidebitque, ne ſcurrilia quædam apponantur ibi, quæ ſpectantes ad riſum, potius, quam ad pietatem, ac religionem prouocare ſolent. non enim recte Diuina profanis miſcentur. Quin immo, ſi quod ibi tale repererit, laudauerim, vt tollendum quamprimum curaret, ac illius loco, pia aliqua Sanctorum ſigna reponenda mandaret.

Poſtremo, conſiderabit, quo modo cooperiatur, à puluere præſeruetur, an ſcilicet tela aliqua ſuper ipſam extendatur, in qua colorem, qualitatemq. obſeruabit; & an recens ſit, & decenter ornata, an vero vetuſtate conſciſſa, ac corroſa; an vero ligneis foribus occludatur, in quibus, ſi quæ Sanctorum Reliquiæ fuerint, ea viſitabit, vt ſupra [a] docuimus. Si qua autem ibidem ſigna, ornamentave fuerint, ea quoque inuiſet, ac loco, vbi reperiuntur, congrua eſſe curabit.

a Prima part, c. 13. per tot.

Tribuna

## *Tribuna Eccleſiæ.* Cap. XXI.

DEINDE, Viſitationem proſequendo, viſitauit Tribunam ipſius Eccleſiæ Cathedralis, quam inuenit bene diſpoſitam, fornicatam, & dealbatam, ac Eccleſiæ conuenientem. pro quibus Deo gratias egit: vel, ſi aliquid deſit, mandet, vt fiat; & ipſam, prout eſt, in Viſitatione deſcribat.

## *Lampades ante Altare maius.* Cap. XXII.

QVOT Lampades ardeant, an ſint plures, vnaque, vel tres continuo accenſæ permaneant; quæ autem in medio poſitæ ſunt, vna, vel tres numero ſint ſemper, vel plures diſpari numerd.

An omnes accendantur, vel quando, & quantæ.

An in illis, quæ continuo ardent, ſint Lampadaria ex vitro, vel tela, ne à vento extinguantur.

Cuius impenſis ardeant.

An munde, & nitide conſeruentur.

Videat, vt integræ ſint, ne fundant Oleum in terram.

Videat præterea Oleum, vt ſit clarum, & lampades terſæ, ac nullis ſordibus coinquinatæ.

Curet Viſitator, vt Lampades, quæ continue ardent, habeant Lampadarium ligneum deauratum, vel vitreum, vel ſaltem ex tela incerata, ne à vento extinguantur.

*Scabella*

## *Scabella ad vſum orandi, ſiue Cancella. Cap. XXIII.*

AN ante Altare circum circa ſint Scabella ad vſum orandi, cum balauſtis, vel columnulis ligneis, vel lapideis.

An deſuper extendantur mappæ mundæ pro communione miniſtranda, quando tamen miniſtrant.

Si non ſint prædicta omnia, curent quamprimum facienda.

## *Sedes Pontificalis. Cap. XXIV.*

AN Sedes Pontificalis ſit lapidea, vel lignea.

An habeat gradus, & quot. Ad minus quatuor eſſe debent.

An ſint Scabella ad vſum aſſiſtentium, inferiora Sede prædicta.

An ex parte Euangelij, & prope Altare, ſita ſit huiuſmodi Sedes Pontificalis. Aduertat, vt non ſit ex Cornu Epiſtolæ, niſi aliter fieri non poſſit.

An habeat poſt gradus planitiem; vt debitum obſequium Epiſcopo commode præſtari poſſit.

An adſit Tapetum, vel aliud pannum, pro gradibus cooperiendis.

An deſuper Vmbella, & veſtes ipſorum colorum, quibus Sancta Eccleſia diuerſis anni temporibus vtitur.

An ſericea, vel ex panno ſint.

An habeant Inſignia, & à quibus fuerint facta.

An Fimbrijs, & alijs ornamentis decentibus ſint ornatæ.

## *Viſitatio Cappellarum, & Altarium ipſius Eccleſiæ. Cap. XXV.*

CONTINVANDO ipſe Reuerendiſſimus D. Epiſcopus cum prædictis Coaſſumptis Viſitationem iam cœptam, & viſitato Altare maiore, vt decet, Altaria, & Cappellas ipſius Eccleſiæ viſitare decreuit: & primo incepit à Cappella Sancti Petri, quæ eſt in latere dextro ipſius Eccleſiæ, vt infra.

### *Cappella Sancti Petri.*

VISITAVIT Cappellã, & Altare Sãcti Petri, & inuenit in ea Altare lapideum firmum, cum lapide ſacro infixo æqualiter, ( ſi deſuper, & mobilem inuenerit, mandet, vt infigatur firmiter, & æqualiter) & ſupra dictum Altare eſt figura, ſeu imago Sancti Petri in muro depicta, valde decens, & deuota; &, ſi ita non eſt, ipſam deſcribat, prout eſt; ſimiliter deſcribat, ſi imago eſt in tela, vel in tabula, prout eſt; &, ſi non eſt decens, mandet, aſſignato termino, vt fiat, iuxta facultates redditnum.

Si Cappella fuerit depicta tota, deſcribatur, & deſcribantur figuræ Sanctorum, quorum Imagines ibi fuerint ſupra Altare; ſi non ſint figuræ decentes, & contra formã Sacroſancti Concilij Tridentini [a], mãdet, vt fiant, vel quod fiat ſuper Altare imago ſculptilis, vel depicta pulchra, in tabula, vel in tela, & reliquum Cappellæ dealbetur; & hoc, arbitrio Viſitatoris, prout magis expedire iudicauerit. Quòd ſi dictum Altare careat mappa maiore, quæ debet ab vtroque latere vſque ad ima pendere, mandet, vt fiat.

[a] Seſſ. 25. de inuocat. & ven. & reliq. ſanct.

Pari ratione, ſi careat pallio, vel quod non ſit decens, mandet, vt fiat, habita ratione facultatum, ac redditnum; qui ſi tales fuerint, vt plura pallia diuerſorum colorum, quibus Eccleſia diuerſis anni temporibus vtitur, confici poſſent, facienda quamprimum mandet, curetque. & hoc totum iudicio, arbitrioque Viſitatoris integrum relinquitur.

Videatur

*Videatur poſtea,*

AN Altare ſit vt ſupra.
An habeat mappas tres, vt ſupra; & ſi eſt maior, vt ſupra.
An pallia diuerſi coloris, & qualitatis, & quot.
An duo Candelabra ſaltem.
An Crucem in medio ſaltem ligneam deauratam.
An Tabellam, Secreta Miſſæ continentem, cum tabula lignea conglutinatam.
An ad minus Puluinar vnum, ad vſum Miſſalis.
An Telam viridis coloris, ad arcendam puluerem.
An Campanulam muro affixam.
An Clauum muro affixum prope Altare, pro reponendo biretto Sacerdotis celebrantis.
An Feneſtellam ex parte Cornu Epiſtolæ, pro Bacili, & Vrceolis conſeruandis.
An Bacile, & Vrceolos vitreos.
An Candelabrum geſtatorium magnum cum Cereo pro eleuatione Hoſtiæ, & Calicis.
An indumenta Sacerdotalia: &, quæ ſint, videat diligenter.
Quod ſi decentia non fuerint, laceret, & mandet decentia fieri. Sic etiam fiat in reliquis prædictis, & ſequentibus.
An Calicem cum Patena, & cuius generis metalli.
An Miſſale cum ſuis Signaculis.
An Tegumentum Miſſalis, ſi facultates ſuppetant.
An Corporalia, Purificatoria, & Vela ſericea ad vſum Calicis.
An Burſam, vel Capſulam ſericeam, ad vſum recondendi, ac conſeruandi Corporalia.
An ſint Cancelli ferrei, vel lignei, qui poſſint claudi. Si non ſint, quòd fiant, ſi poſſunt fieri.
Hæc omnia videantur iuxta qualitatem Cappellæ, & Beneficiati.

*In Cappellis ſeparatis ab Eccleſia: quia hæc dicuntur in Sacriſtia.*

AN ſit Tabella continens orationes, ante, & poſt Miſſæ Sacrum dicendas.
An ſit Tabella alia, continens orationes, quæ à Sacerdote dicuntur; cùm Miſſæ Sacrum facturus veſtes ſacras induit, & exuit.
An Scabella firma, lignea, vel lapidea.

An Candelabrum ad vſum accendendi faculam pro eleuatione Sanctiſſimi Sacramenti.

An Pauimentum mundum ſit, & æquale.

An ſit fornicata, nec ne, an depicta, aut qualis.

An Cancellis ferreis, vel ligneis ſit munita, cum ſera, & claue. Si non ſit talis, mandet fieri, & accommodari: quotidieque, peractis Officijs Diuinis, à Sacriſta claudatur; & Altare ſemper decenter ornatum permaneat.

His peractis, ac omnibus ſic deſcriptis, & prouiſis, interroget poſtea Viſitator, quis Cappellanus, & deſcribat in hunc modum: videlicet.

In qua Cappella, ſeu Altari eſt Cappellanus N. de N. & eſt de collatione ordinaria, prout demonſtrauit per oſtenſionem litterarum ſuæ Canonicæ inſtitutionis, expeditarum à Reuerendiſſimo D. N. Epiſcopo N. ſub Datum N. Die, Menſe, & Anno, vel prout nobis conſtitit per alios Libros Viſitationum præteritarum; vel, ſi eſt de iure patronatus, videat, vt ibi conſtet, iuxta decreta Sacroſancti Concilij Tridentini; [a] & omnia deſcribat, prout inuenerit deſcribenda, præſentationes litterarum, miniſtrorum, prout ſupra, deſcribendo onus iniunctum illi celebrandi ſemel, bis, vel ter in hebdomada, vel quoties, prout ibi inueniet; & ſic omnia alia onera; & interroget, an plene ijs ſatisfaciant; mandet, impoſitis pœnis, adimpleant; vt in poſterum omnia, ad quæ tenentur, re ipſa præſtent, curentq. omnino, vt omnes iniunctum ſibi munus impleant; quæ antea per negligentiam prætermiſſa fuere, reſarciant, ne animæ defunctorum defraudentur ſuis debitis ſuffragijs.

[a] Seſſ. 25. c. 9. de reform.

Quod ſi Cappellanus non habeat Canonicam inſtitutionem, ſimiliter deſcribat, & notet; quia non facit fructus ſuos, ſed ad eos reſtituendos tenetur, & priuandus in fine Viſitationis, in prolatione decretorum debet condemnari.

Deinde mandet, vt præſentet Inuentarium bonorum mobilium omnium, & ſtabilium ipſius Eccleſiæ, ſeu Cappellæ, quod alligabit, & conglutinabit in Libro Viſitationis.

Quod ſi Inuentarium bene deſcriptum cum Iuribus, prout in Edicto Generali mandatum fuit, non præſentauerit, ipſum Cappellanum cogat per ipſum quamprimum præſentare, cum deſcriptione confinium; prout decet, & ſolet fieri.

Curet præterea, ac prouideat, vt ea, quæ debent fieri, fiant, termino conuenienti aſſignato, & pœnis Canonicis appoſitis ijs, qui parere recuſauerint; &, quantum poterit, pœnas pecuniarias declinet; ſed, ſi aliter fieri non poterit, operibus pijs, vel certis illas applicet

Procura-

Procuratori, ſeu Præceptori prouentuum ſoluendas, & non Procuratori Menſæ Epiſcopalis.

Et hoc modo viſitare debet omnia alia Altaria, & Cappellas, ſcribendo, & notando omnia, prout ea inuenerit; &, quæ reſarcienda, ſunt, reſarciantur; & quæ de nouo facienda, de nouo, vt fiant, curet, ac mandet.

## *Tectum Eccleſiæ.* *Cap.* *XXVI.*

SVSPICIENS poſtea, viſitauit Tectum ipſius Eccleſiæ, quod inuenit ſupra Chorum, bene diſpoſitum, & accommodatum, vel fornicatum, vel egens reparatione, &, prout fuerit, deſcribat, prouideat, & mandet, vt fiat, à quo fieri debet, præfixo termino.

Ne ſupra illud ſint cubilia, ne ve quis ibi inhabitet, præcipue ſæculares perſonæ.

Vt bene reparetur à pluuia.

Supra Altare maius ſaltem ſit fornix, vel laquearia picta, vel deaurata.

## *Muri Eccleſiæ.* *Cap.* *XXVII.*

SIMILITER viſitauit parietes Eccleſiæ, &c. mandauit reparari, dealbari, &c. prout inuenerit eſſe neceſſarium, & vt mundi, abſque araneis, telis. & puluere, & immunditijs ſeruentur,

Si ſint picturæ, & ſculpturæ laſciuæ, & impiæ, tollantur.

Imagines, vel ſtatuæ corroſæ tollantur pariter.

An ſint reparandi, intus & extra, reparentur.

Si non ſunt dealbati, dealbentur; prout hodie in omnibus Eccleſijs ſeruatur.

Ne ſupra illos ab aliquo ſit fabricatum.

Nec illis vllo modo adhęreat domus profana, vbi fieri poteſt.

Nec quid profanum, ſordidum, & inhoneſtum fiat prope illos.

## *Feneſtra Eccleſiæ. Cap. XXVIII.*

VIDEAT, ne ſint ſuperfluæ, & damnoſæ; ſi autem Eccleſia obſcura appareat, mandet plures fieri, & ad arcendam pluuiam, & ventum, vt vitris, vel tela, cera illinita, ſint occluſæ.

Et, quæ occludendæ ſunt, mandet claudi.

Curet, ac mandet, diſtrictè præcipiendo, Ne ſæculares habeant feneſtras, quibus intra Eccleſiam proſpicere poſſint.

## *Crucifixus. Cap. XXIX.*

DESCRIBATVR, quo in loco conſeruetur, & quomodo, & qua egeat reparatione, mandet reſarciri, & perquirat, à quo factum fuit, ideſt impenſis cuius.

Videat poſtea, an ſit deuotus, & decens.

Quod ſi indeuotus, ac corroſus fuerit, tollatur, & alius nouus, ac decens fabricetur.

Quomodo pie, & honorifice ſeruetur, vt decet; &, ſi fieri poteſt, teneatur Lampas accenſa, certis ſaltem diebus, ad excitandam deuotionem.

## *Organum. Cap. XXX.*

SIMILITER deſcribatur, & viſitetur, quo in loco ſit Organum, quibus egeat, & quæ, quantave merces detur Organiſtæ, & à quo; ſi bene, & diligenter officium ſuum exercet. mandet, & reformetur prout ſibi videtur.

Videat, ne cantentur cantus laſciui, ſed ſpirituales; &, ſi bene,&

ne, & pie pſallant. Scriptum eſt enim: *In chordis, & Organo laudate Deum.*

## *Suggeſtum. Cap. XXXI.*

AN ſit in loco conſpicuo,& eminenti,vt Concionator poſſit totam quodammodo Eccleſiam proſpicere, ac oculis luſtrare.

Curet, ac videat, An ſit in medio Eccleſiæ, vt poſſit ab omnibus commode audiri.

An ibi ſit Crucifixi effigies, apte, ac bene accommodata.

Quod ſcala, quæ aſcenditur, ſit plana, & commoda, prout melius fieri poterit.

Prouideat, quod feminæ à viris ſemotæ maneant, tabulis, vel tela extenſa diuiſæ, ac ſegregatæ.

Quod ſuper Suggeſtum ſit Laqueare, ſeu Baldachinum ligneum laboratum,ac decenter ornatum, ne vox Concionantis deſuper dilatetur, ac diffundatur.

Animaduertat, quod ſub Suggeſtis non ſit Altare. quod ſi erit, tollatur.

## *Chorus. Cap. XXXII.*

AN ſit ex lignis cōfectum,videlicet,nuce,vel abiete, deſcribatque ipſius formam; tum, quot ſedilia deſuper in medio, & in ima parte ſint.

An ſit ornatus, ſculptus, occluſus, & ſeparatus à laicis.

An ſint loca, ſubſellia, & alia Diuino cultui condecentia.

An ſint in medio Eccleſiæ, vel vbi. Quod ſi fieri poteſt, vt ſecus Altare maius collocetur, melius: prout hodie in omnibus Eccleſijs quaſi ſeruatur.

An ſer-

An ſeruetur ordo in ſedendo; vt ſupra in dignioribus locis primiores, & dignitates Eccleſiæ, poſtea Canonici, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, iuxta eorum promotionem, ac dignitatem ſedeant, & Clerici, ſemper ſtent.

Quod ſi inuenerit hanc ibi conſuetudinẽ ſeruari, qua ſolum Presbyteri ſedeant, reliqui vero inferiores ſtent; vt bene, & inuiolabiliter in Cathedrali Eccleſia Ciuitatis Licij ſeruatur; curet omnino hanc laudabilem conſuetudinem ſeruari a.

a c. non oportet. il primo q. diſtinc.

An egeat refectione, & reparatione.

An ibi ſeruatur ſilentium.

An debitæ cærimoniæ in Diuinis officijs ſtandi, ſedendi, genuflectendi, capita tegendi, & detegendi, à Choro diſcedendi, veniendi, & redeundi, & ſimilia ſeruentur.

An ſit Sedes Epiſcopalis in Choro alijs omnibus eminentior, præter eam, quæ eſt prope Altare maius; &, ſi habet veſtes quatuor colorum, quibus Eccleſia vtitur.

An ſit in eodem Choro Sedes Vicarij; omniaq. particulariter deſcribat, vt repererit; prouideat, & decernat, prout neceſſarium, & opportunum iudicabit, ſecundum Eccleſiæ qualitates, & vires.

---

## *Pulpita in Choro, ſeu lectecilia. Cap. XXXIII.*

AN ſunt plura, vel vnum tamen, vel duo, ſcribantur; an omnes ad canendum ibi deſcendant, vel qui, & quot numero, & qui ordo in hoc ſeruetur. An ſint determinati, aut inuitentur, vel quomodo, qui ad canendum accedunt.

An in diebus feſtis deputentur Canonici, vel Preſbyteri ad intonandum, ac cæteris in canendo præeundum.

An in ſollemnitatis diebus deputantur, & à quo, & an cum pluuialibus incedant, maxime in Pontificalibus, Veſperis, & Miſsis: nec aliter fieri permittat.

An Pulpita egeant reparatione, & an ſint in loco lucido; vt Cantores commode, quæ canenda ſunt, videre poſsint.

An legantur à deputatis Antiphonæ, quando pſallente organo repli cantur in Choro, quia debent legi aperta voce, dum organo pſallitur.

Porta

## *Portæ Eccleſiæ. Cap. XXXIV.*

PORTA maior an ad Occidentem pertineat,& quorſum aliæ ſpectent, & quanto numero ſint, deſcribantur omnia.

An ſuper ea ſint ſupportica, nec ne.

An ſint firmæ, & ſtabiles, vel egeant reparatione.

An bene, & firmiter claudantur ex parte inferiori.

Si ſeræ, & claues bene aptatæ ſint, & accommodatæ.

Quiſnam curet ipſas claudere, & aperire, & qua hora, & claues retinere.

## *Fontes aquæ benedictæ ad vſum aſpergendi. Cap. XXXV.*

DEBENT eſſe intra Ianuas Eccleſiæ à latere dextero; & in Eccleſijs maioribus, & inſignioribus, vbi hoc commode fieri poteſt,ſint ex vtraque parte.

Videat, quod Fontes ſint marmorei, & expoliti, & bene laborati.

Tollanturque inſcriptiones gentilium, ſi ibi fuerint, nec vllo modo in his permittantur.

Quod ſint integri, ne aquam fundant.

Quod aqua ſit munda, noua, & clara.

Quod ſemper ſint aſperſoria ad vſum introeuntium.

Interroget, an ſingulis Sabbathi diebus innouetur, & benedicatur ab Hebdomadario, ſuperpellicio, & ſtola induto; & vetus in ſacrario,vel per Eccleſiam proijciatur.

An ſingulis diebus Dominicis populi fiat aſperſio, iuxta ritum Eccleſiæ.

Interoget, per quem, & quando fiat, quia in Eccleſijs Parochialibus, & paruis, fit per Presbyterum celebrantem; in Cathedralibus, & alijs inſignioribus, fit per Diaconum, antequam Miſſa conuentualis incipiatur, & proceſſionaliter totam Eccleſiam circumeun-

do, ac aſpergẽdo; prout laudabiliter fit in noſtra Cathedrali Andrien.

Proh beat, pœnis impoſitis, ne homines prope eos, ne ve prope portas Eccleſiæ ſtent, vel ſuper eos reclinent corpora ad quieſcendum, ne ve ſuper Altaria.

Demum interroget, an Eccleſia ſit conſecrata; videat, an ſit Crucibus ſignata, rubeis, nec ne; mandet, vt Cruces depingantur duodecim, ſi non appareant.

Quod ſi Eccleſia non fuerit conſecrata, conſecretur, ſeruato ritu, ac conſuetudine Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

## *Confeſsionalia. Cap. XXXVI.*

AN Confeſſarij in Confeſſionalibus ſedeant, induti ſuperpellicijs, & ſtolis, quando audiunt Confeſſiones: ſi ita Viſitatori videbitur.

An ante ortũ Solis, & poſt occaſum, mulierũ confeſsiones audiãtur.

An Confeſſionalia ſint numero ſufficientia.

An præbeant aures pœnitentibus, facie ab eis auerſa, præcipue, quando audiunt Confeſſiones mulierum.

An ſint lignea commoda, tam ad vſum Confeſſoris, quã pœnitentis.

An ſit cratis ferrea, vel lignea inter Confeſſorem, & pœnitentem.

An pœnitens commode genua flectere poſſit.

An ante oculos pœnitentis ſit imago Crucifixi.

An ex parte Confeſſoris ſint in tabula affixa caſus Sanctiſsimo Domino, & Ordinario reſeruati.

An ſint in loco conſpicuo, & non in angulis, vel in cappellis, & locis obſcuris.

An in alijs locis non audiatur Confeſsio, neceſsitate excepta.

## *Pauimentum Eccleſiæ. Cap. XXXVII.*

VISITAVIT Pauimentum, Quod inuenit, &c.

Mandet, vt ſit lapideum, æquale, & bene accommodatum, ac concinne diſpoſitum, iuxta Eccleſiæ facultates, atque mundum à ſordibus conſeruetur per Sacriſtas, qui in eo inuigilent; vt, cum mortui ſepeliuntur, lapides ſepulcrorum poſtea bene aptentur, ac cetero pauimento æquentur.

Saltemq. ſemel in hebdomada emundetur à ſordibus.

*Sepulchra*

## *Sepulchra. Cap. XXXVIII.*

AN ſint vicinæ Altaribus, vel ſubtus illa.

An ſint bene clauſa, ne fetorem emittant.

An habeant operimenta lapidea, æqualia pauimento Eccleſiæ.

An ſupra ſepulturas ſint inſignia offendentia, ac ſculpturæ ſimiles.

Lignea Depoſita tollantur.

An Cruces pauimento inſculptæ, vel nomen Dei, ita, vt pedibus ambulantium conculcentur.

An ſubterranea loca claudenda, an alia. Prouideantur.

## *Feretrum. Cap. XXXIX.*

VIDEAT, ac curet, vt bene accommodatum ſit, & in omni Parochiali, & Collegiata Eccleſia.

Vt id in loco conſeruetur, quod non impediat Eccleſiæ, & Cappellarum miniſteria.

## *Cœmeterium. Cap. XL.*

AN ſit clauſum, & vndique ſæptum; ſi ſit, ſic conſeruetur; ſin minus videat, ac conſideret, An poſsit claudi; ne animalium incurſionibus pateat, & claudatur, ac ſæpe circundetur, vel muro.

Ne immunditiæ ibi ſint, nec petræ, nec ligna, ſed vacuum ſit prorſus, & expeditum.

Ac ſit ibi Crux, & Cappella, & Vas aquæ benedictæ. Si nõ ſit, erigatur.

An ſint ibi oſſa in humum aſperſa.

An oſsium congeries..

An terra illa effodiatur, areturve, vel aliquid in ea plantetur. Non permittat id fieri; curetque, ne prope Eccleſiam, & parietes, ſint arbores, vineæ, vel quid ſimile.

An mortuorum corpora ibi ſepeliuntur.

Si ibi ſint ſepulcra. Subterranea permittat; & prohibeat, ne ibidem fiant ioci, nundinæ, & ſimilia.

---

## *Porticus Eccleſiæ. Cap. XLI.*

AN ante Portam Eccleſiæ ſit Porticus. Videat, curetque, ne ibi fiant ludi, nec nundinæ, neque aliquid profanum, & inhoneſtum.

Ne ibi ſint ſedilia, in quibus poſſint homines ſedere, & fæminæ, & confabulari, ac propter hoc à deuotione, & ingreſſu Eccleſiæ retrahantur.

Tollantur illico, ſi fuerint; pro vt factum fuit in Cathedrali noſtra Andrienſi de noſtro mandato in Viſitatione.

---

## *Campanile. Cap. XLII.*

AN ſit prope Eccleſiam, vel cum Eccleſia connexū.

Ex qua parte maneat.

An ſit coopertum ad formam Campanilis, vel detectum.

Quot Campanas habeat, & deſcribat magnitudinem, & paruitatem, cum numero, & pondere earum, ſi ita videbitur.

An ſint benedictæ. Sin autem, benedicantur, ſi videbitur.

An bene accommodatæ, & deſeruientes.

An ſit in eo porta, cum ſera, & claui.

An ſemper clauſum cum ſera ita permaneat poſt peracta Diuina.

An ſit ſcala commoda ad aſcendendum, & deſcendendum.

An poſſit in omni tempore Sacriſta ipſas pulſare.

An bene deſeruiēt Campanarum miniſtri Sacriſtæ, & debitis horis.

An ibi

An ibi bene, & honeſte verſatur ab hominibus; ne fiant ibi ludi, peccatave; ne quid inhoneſtum, & profanum; nec pueri, & adoleſcentes ibi verſentur.

---

## *Circa alias Eccleſias viſitandas poſt Cathedralem. Cap. XLIII.*

VIDEAT, & deſcribat Regionem, Nomen, Rectorem, Poſſeſſorem, an ſit Collegiata, Parochialis, Titularis, & de iure, vel collatione Ordinarij, & an ſit conſecrata.

An dependenti, ſimplicive Eccleſiæ annexa, vnitave fuerit, &, prout erit in facto, eam eodem met ordine deſcribat, & infra ſcripta perquirat, præter ea, quæ ſuperius diximus.

An ſcilicet ſit Iuris patronatus. Si fuerit, videat, quod conſtet, iuxta Concilij Tridentini decreta; [a] &, qui eam in titulum obtinet, dicat, & oſtendat litteras. [a] Seſſ. 25 c. 9. de refor.

An alteri Eccleſiæ vnita, & an ei alia beneficia vnita ſint, & quæ, exprimantur; fundationem, iura, priuilegia exponat.

Inuentarium bonorum ſtabilium, & mobilium exhibeat.

Redditus, & in quibus conſiſtant, deponat.

An in ea ſint Canonici, & quot.

An habeant Præbendas diuiſas, vel in communi.

Quo modo ſeruiant.

Quæ expenſæ fiant; quæ onera, obligationes ipſis incumbant, & an ſatisfiat.

Qui non ſatisfacit muneri ſuo, vt tenetur, citetur ad reſtituendum fructus, vel ſequeſtrentur fructus Præbendæ eius.

Quando aperta teneatur, & quando clauſa.

An, quando eſt aperta, aliquis curam eius habeat.

In Cathedralibus, & Collegiatis, inſignioribus maxime, eligendus, ac inſtituendus eſſet aliquis, qui in die curam eius habeat, & prohibeat fieri in Eccleſia quæ non debent, vt infra dicitur.

An in eis fieri permittantur, quæ ſunt reprobanda, [b] & prohibita. [b] Infra eod. c. 3. 9. & 40.

An ſæpius araneæ, & puluis circum amoueatur.

An ſaltem ſemel in hebdomada pauimentum emundetur.

An ornetur pannis, ſeu picturis laſciuis, aut gentilium.

An fiant ibi ſepulturæ, & monumenta, ſine licentia.

An pro eis aliquid Eccleſiæ annuatim ſoluatur, & quantum.
An ibi ſit fabrica, & quæ, quosve redditus habeat pro ea, exhibeat.
An redditus illi ſeparati ſint ab alijs, & quæ impenſæ fiant.
An libri computorum fiant, & ratio reddatur à miniſtris.
An ibi indulgentiæ ſint, & quales, oſtendantur.
An ſint aliquæ prauæ conſuetudines, tollantur.
An ſit Societas Sanctiſſimi Sacramenti. Si non ſit, inſtituatur.

Vocentur Eccleſiarum poſſeſſores, moneanturque, vt adſint cum litteris ordinum, & beneficiorum.

Videatur, an ſint idonei ad onus ſibi impoſitum ſuſtinendum; & an exequantur id, ad quod tenentur.

Exhibeatur Inuentarium bonorum omnium. Quod ſi Eccleſia reparatione indigeat, aut ornamentis, ſequeſtrentur fructus, quoad omnia executioni demandata fuerint.

In qualibet Parochiali Eccleſia conſeruari debet Sanctiſſima Euchariſtia, quæ viſitetur vt ſupra, c. 9.

In Eccleſijs collegiatis, quibus iniuncta eſt cura animarum, ſolet eſſe Vicarius perpetuus, qui videatur, an ſit idoneus ad illam exercendã.

Idem faciendum eſt in Parochialibus, quæ ſunt vnitæ Hoſpitali, vel Collegio.

a Cõc. Trid. ſeſſ. 21. c. 7. de refor.

Dirutæ Eccleſiæ, ad matricem ſunt transferendæ, erecta ibi Cruce.[a]

Si de conſecratione Eccleſiæ non conſtet, & ibi ſint ſepulturæ, eſſet conſecranda.

Videantur ſtatuta Clericorum, Societatum, & Confraternitatum. Item Conſuetudines.

b Cõc. Trid. ſeſſ. 7. c. 5. & ſeſſ. 25. c. 9.

Videantur vniones,[b] à quibus ſint factæ; & an à quadraginta annis deinceps ſine edicto factæ fuerint.

---

## *Iuris patronatus vnio, & viſitatio. Cap. XLIV.*

c vt ſup. ſeſſ. 25. c. 9.

VNIONES, & iura patronatus, iuxta decreta S.C.T. Clericorum ne, an Laicorum ſint, & an legitime conſtituta.[c] A quo, & quanto tempore factæ fuerint; an à quadraginta annis citra, & examinari debent; an vero deinceps; & tunc ſeruanda forma Sacroſancti Concilij Tridentini.

Exhibeantur iura, fundationes, dotationes, documẽta, & priuilegia.
Quo modo fiat pręſentatio, & an in ea aliquid illicitum cõmittatur.
Perquiratur, an præſentatus promiſit, deditq. aliquid præſentanti. Vterq. corripiatur.

An, qui

An, qui præſentauit, participet de fructibus, & quantum. Prohibeat.

Interrogetur, an præſentatus ſit amouibilis ad nutum patroni. Non permittat.

An fructus à Patrono percipiantur. Priuari, & iure puniri debet. Conc. Trid. ſeſs.24. c.9.

Quot fructus, in quibus conſiſtant, & quæ expenſæ fiant.

Quæ onera, & an illis ſatisfiat.

An ad aliquid patronus teneatur.

An reparatio aliqua facienda ſit.

An Ornamenta, & Paramenta deſint. Mandet fieri.

Poſtquam totam Eccleſiam viſitauerit, videat diligenter, quæ in ea fieri non debent, & prohibeat mandando, prout exequi volet, impoſitis pœnis Canonicis, qui non paruerint. & ſunt infraſcripta, & alia, qu Viſitatoris iudicio integra relinquuntur. Multa enim locus, multa tempus, multa denique res ipſa ſuppeditabit, quæ, licet per ſe non ſint mala, tamen, quia ſcãdalum facere poſſunt, tollenda, ac prohibenda ſunt.

---

## *Prohibenda in Eccleſiis. Cap. XLV.*

MENSAE, ad quæſtum poſitæ, cum bacili, & libro, candelæ, item & cætera venalia, expoſita, vel delata, præterquam in Oratorijs Confraternitatum.

Deambulationes, colloquia, congreſſus laſciui, & ſimilia.

Vigiliæ nocturnæ, maxime mulierum.

Adhærentes Altaribus, & fontibus, qui exiſtunt in foribus, vel prope fores Eccleſiæ.

Comedentes, & bibentes.

Mendici circumeuntes dormientesq. irreuerenter.

Scholæ puerorum.

Stipulationes, & tranſitus cum oneribus.

Concilia, Congregationes laicorum, & Confratrum.

Contractus, portantes accipitres, & ſcloppettas.

Inſpectio vulnerum, Proceſſus, Inciſio corporum, ligna, cæmenta, ſaxa, & omnia ad Eccleſiæ vſum non neceſſaria.

Canum, & animalium introductio.

Translatio corporũ ſepultorum de vna Eccleſia ad aliã ſine licẽtia.

Rixantes, lugentes, ludentes, & ſtrepitus faciẽtes; & omnia alia, Diuina officia impedientia, ac quouis modo interrumpentia.

Prohibenda

## *Prohibenda in Porticibus, & Gradibus Eccleſiæ. Cap. XLVI.*

RERVM quarumcumque venditores.
Nundinas diebus feſtis, & Stationum exercentes.
Circulatores, vociferantes, & rixantes.
Ludentes, quid vis operis facientes, & ijs ſimiles.
Quoquomodo delinquentes, aut quæ vis indecentia committẽtes.

## *Viſitatio Sacriſtiæ. Cap. XLVII.*

Die N. Menſis Prædicti Anno N.

CONTINVANDO Viſitationem prædictam ipſe Reuerendiſſimus D. N. Epiſcopus N. vna cum prædictis Coaſſumptis, vel plerisq. eorum, ſe perſonaliter contulit in Sacriſtiam ipſius Cathedralis Eccleſiæ, quæ ſita eſt prope Altare maius, ex Cornu dextro, habens portam verſus Chorum; &, facta prius oratione more ſolito, accenſis intortitijs, mandauit primo aperiri locum, in quo Reliquiæ Sanctorum reconduntur, ſitum in dicta Sacriſtia, quem reperit honorifice poſitum, & munde conſeruatum cum tribus clauibus, quæ detinentur per talem, & N. &c. quæ bene deſeruiunt, & ſunt firmæ: & ante locum prædictum continuo ardet Lampas.

Quibus omnibus proſpectis, petijt Inuentarium earum, & Sacriſtiæ, quo facilius, ſecundum eius ordinem, omnia viſitare poſſet; quod exhibitum fuit per Reueren. Archidiaconum, &c. Atque omnia in Actis Viſitationis per Notariũ ſuum redigẽda curabit. Sin ſecus fuerit, prout repererit, deſcribet, ac prædictum Inuentarium ibidem inſerendum curabit, quem præ manibus habendo diligenter viſitet, & videat omnia, & in fine prouideat, factis decretis, vt infra ponetur.

Primo, viſitandæ ſunt Reliquiæ, & Vaſa argentea, quarum Inuentarium

tarium poteſt ſic forma rilingua patria; prout ſolet fieri; & ſic tradimus formam, pro faciliori Sacriſtarum, & Parochorum intelligentia, & omnium vtilitate.

---

## *Inuentario delle Reliquie de' Santi, & Argenterie, che ſi conſeruano in queſta Sacriſtia della Cathedral Chieſa d'Andria, fatto dalli R.R. Archidiacono, Capitolo, & Sacriſtani di eſſa. Cap. XLVIII.*

IN prima, vna Spina della Corona, con la quale fu Coronato Noſtro Signor Gieſu Chriſto, la qual ſi cõſerua in vn Tabernacolo di Rame ben lauorato indorato, & eſſa ſtà affiſſa in mezo amouibile, che ſi può moſtrare, coperta d'vna vainella d'argento indorata con trenta perle, & quattro rubini, con vna crocetta piccola di criſtallo roſſa in cima, & da piedi vn pometto indorato, con quattro gemme pretioſe, & vn diamante.

Et coſi ſeguiterà il reſto delle Reliquie, Croci, Calici, Patene, Turiboli, & altre ſimili.

### *Inuentario di tutti li Paramenti, & Ornamenti della Sacriſtia, vt ſupra, &c.*

ET, acciò che vada ogni coſa ben' ordinata, & quando ſi vuol trouare vn Paramento, ſubito ſi troui, ſi ſcriuerà diſtintamente in queſto modo: videlicet.

### *Vmbellæ, ſeu Baldachini.*

IN primis, vn Baldachino di broccato d'oro fino, foderato di tela turchina, con venti banderole d'ormiſino cremeſino con l'armi del Rè Federico, poſto in oro, & guarnito di frangie di ſeta di diuerſi

colori, & oro, con ſei mazze pinte roſſe con pomi dorati.

Et in queſto modo ſi ſcriuano tutti li Baldachini diſtintamente, ſe ſon vecchi, noui, rotti, ſani, & il colore, & con l'arme.

Et coſi ſi ſeguiterà con queſt'ordine ſcriuere in mezo panni d'Altari bianchi, & dopò ſcriuerli, tutti vno per vno.

Et dopò ſcriuere panni d'Altare roſſi; & à queſto modo ſeguitar delle Pianete, Dalmatiche, Tonicelle, Piuuiali; color per colore, & tutti quelli d'vn colore metterli ſotto il lor colore, & nome, & coſi delle touaglie, mantili, & di tutte le ſupellettili della Sacriſtia, etiam d'ogni coſa mobile; perche, ſcriuendoſi quel nome in mezo, come rubrica, fa facile il trouarle, quando biſognano; & ſe ne tiene più particular conto.

Poſtquam omnia prædicta eo ordine diligenter viſitauerit, factis, prout infra dicetur, decretis, ea omnia decernet, ac mandabit, quæ decernenda, mandandaq; erunt; &, quæ deſunt, vt fiant modo infraſcripto curabit, & animaduertat, an in Sacriſtia ſint paramenta quinque coloribus diſtincta, quibus Eccleſia diuerſis anni temporibus vtitur, & quæ ſunt corroſa, & conſciſſa, vt reſarciri minus poſſint, comburi debent, potiuſquam ad profanos vſus vſurpari.

Et poſtea eodem met ordine, quo ſingula ſunt deſcripta in Inuentario, ſingulis decreta, accommodet, pro decretis formandis hæc pauca.

*Reliquiæ.*

MANDAVIT, vt in illo loco, ſiue Sacrario, vbi Reliquiæ conſeruantur, nil aliud conſeruetur; ſi quæ autem aliæ ibi fuerint, tollantur.

Et ſic de ſingulis, ac eodem ordine procedet in omnibus Paramentis.

Nec non in Vaſis argenteis, Vmbellis, Pluuialibus, & omnibus prædictis, &c.

*Sequitur Viſitatio Sacriſtiæ.*

VIDEAT poſtea, an Arca, ſiue Armarium, vbi Paramenta conſeruantur, ſint bene diſpoſita, integra, ne mures ingrediantur, ac ea corrodant, & an humida, an habent ſeras cum clauibus bene aptatas.

Et deinde videat infraſcripta, & interroget, & prouideat, prout neceſſarium eſſe iudicabit.

An Sacriſtia ſit tuta, munda, & decens.

An in aliquo reſtauranda.

An Mu-

An Muri reparandi, & dealbandi.

An Porta ſit à latere Altaris maioris. Tollatur.

An Campanula muro affixa ſupra portam Sacriſtiæ, ad vſum dandi ſigna, cum Sacerdotes rem ſacram facturi egrediuntur; vt populus ad illam audiendam conuenire poſſit.

An ſit Porta tuta, & ſera, cum claui bene aptata.

An Feneſtræ lucidæ, tutæ crate ferrea, & vitris, aut tela cera linita occluſæ.

An laici ibi verſentur. Prohibeat omnino.

An ibi colloquia, rixæ, & tumultus fiant. Caueant.

Mandet, ne ibi verſentur alij, niſi Sacriſtæ, & Sacerdotes parati, parandive ad Miſſas celebrandas; reliqui vero omnes eijciendi ſunt.

An in ea ſit Altare, & an ibi celebretur.

An locus ſeparatus, ac ſemotus, in quo celebraturus orare poſſit, ac ſe ad rem ſacram faciendam præparare.

An locus commodus, in quo Sacerdos ſacras veſtes induat.

An Lauacrum cum Mantilibus, & quis numerus mantilium.

An Peluis pro abluendis corporalibus, & Purificatorijs; & quis ea lauet.

An pro Aqua benedicta deferenda, Vaſculum æneum cum aſperſorio decenti.

An Vinum album, & recens, in vaſis mundis.

An Ampullæ, ſeu Vrceoli, vitrei ad vſum rei ſacræ, & an Peluis paruus, in quo vrceoli illi conſeruentur.

An Vas, in quo Hoſtiæ ad vſum Miſſarum conſeruantur, ſit decens, & mundum, cum plumbo.

An ferrea inſtrumenta pro Hoſtijs tondendis, & aptandis.

An Hoſtiæ recentes, & bene à fragmentis purgatæ.

Videat, ne prædicta deſint. Si qua autem defuerint, mandet, vt fiant tamquam neceſſaria.

An Crux portatilis, cum Baculo ad vſus neceſſarios.

An vexilla pendentia in Cruce.

An Lanternæ aſtis affixæ ad vſum deferendi Sanctiſſimum Sacramentum.

An Campanulæ portatiles.

An Breuiarium magnum ad vſum comune affixum, vt aſportari non poſsit.

An Libri Cantus firmi, (vt aiunt) & alij pro Miſsis, & Diuinis Officijs celebrandis, cantandisq. Pſalteria, Antiphonaria, & Gradualia, an pro feriali, & ſollemni officio ſint apta, & ſufficientia.

An ij vetuſtate conſumpti ſint, an laceri, corroſive.

Inuentarium librorum Chori, Sacriſtiæ, & aliorum exhibeatur.
An innouetur ſingulis annis, cum diſtributione interuenientibus.
An Bibliotheca, tuta, munda, bene, & fideliter cuſtodita.
An ornamenta recte, & diligenter cuſtodiantur.
An duplicia habeant pro feſtis, & ferijs.
An rubrica de coloribus Paramentorum ſeruetur.
An Pallijs ad ornatum ſedium, & ſimilium, aliquis abutatur.
An Paramenta omnia munda, & bene diſpoſita ſint.
An ſericea, & pretioſiora cum mantilibus interpoſitis conſeruentur; ac cuſtodiantur.
An fragmenta ornamentorum veterum conſeruentur.

*Si ſint aurea, comburi debent, & argentum illud applicari debet vſibus Sacriſtiæ, prout fecimus in Viſitatione noſtra Cathedralis Andrienſis.*

AN ea ſine licentia vendantur.
An reparanda, vel renouanda, aliqua alienanda.
An inſtrumentum ligneum, ad vſum pulſandi fores in Hebdomada ſancta, cum Campanæ non pulſantur.
An Candelabrum triangulare ad vſum accendendi ſuper illud candelas in officio Hebdomadæ ſanctæ, iuxta ritum Eccleſiæ.
An Calices, & vaſa omnia munda, & decentia ſint.
An reliqua ornamenta integra, & munda, pariter conſeruentur.
An præſertim circa Corporalia, & Purificatoria adhibeatur diligentia, vt ſemper munda, & alba ſint.
An Sacriſtia habeat redditus ſeparatos, ac diuiſos à reliquis redditibus Eccleſiæ.
In quibus conſiſtant, & in quos vſus expendantur.
Quis illos adminiſtret, & quæ ratio adminiſtrationis reddatur, & cui exhibeatur Inuentarium prædictorum omnium redditum; & diligenter perquirat rationem ipſorum.
An Tapetia, & panni ad vſum ſternendi, & ornatus ſedilium.
An aulea, panniue plures ad ornatum Altaris maioris Eccleſiæ, & ad vſum ſternendi ſuper bradellam, & gradus ipſius.
An Sacriſta det cautionē idoneā, & recipiat omnia per Inuentariū.
An ſit, qui ſcribat omnia vota, quæ Deo in Eccleſia ſoluuntur.
Cereos, & alias oblationes, & eleemoſynas pro Miſſis annotent, & ſcribant.
An etiam eleemoſynæ ponantur in arca communi, & quomodo, & quid de illis fiat.

Videat,

Videat etiam, an ornamenta ſint iuxta numerum Altarium ſufficientia.

Videat, curetque, quòd Pulpita ad vſum legendi, ſiue Legilia ſint ad minus duo.

Videat pariter, an ſint ornamenta quinque coloribus Eccleſiæ diſtincta, pro ipſius vſu.

## *Archiuium Scripturarum quomodo Viſitandum. Cap. XLIX.*

VIDEAT deinde Archiuium Scripturarum Reuerẽdi Capituli, & Eccleſiæ, exiſtens in vna arca magna, ex nuce fabrefacta, cum duabus ſeris firmis cum clauibus, quarum vna conſeruatur per R. N. altera vero per R. N. Procuratorem Capituli, &c.

Petat Inuentarium ipſarum; &, ſi non habent Inuentarium, mandet, vt fiat, hoc ordine: videlicet:

*Inuentario di tutte le Scritture, che ſi trouano nell'Archiuio del Reuerendo Capitolo, &c. fatto da' R. N. & preſentatoſi nella Viſitatione per D. N. &c.*

*Inſtromenti.*

IN PRIMIS, vn'Inſtromento in carta pergamena d'vna compra N. N. per tanto, &c.

Et coſi ſeguitare tutti gl'Inſtromenti, & dopò ſeguiterà diſtintamente tutte l'altre Scritture per ordine, notando in mezo la qualità delle Scritture: verbi gratia:

*Libri di Procuratori.*

IN PRIMIS vn Libro della Procura di D. N. de N. in Anno N. &c.

*Polize.*

IN PRIMIS, vna Poliza di cinque decime Papali pagate al R. N. Commeſſario, & Subcollettore, &c. & ſic de ſingulis per ordinem.

Mandet poſtea, ordinatim conſeruentur, prout ordinatim ſcriptæ ſunt.

Videat, ne mures in huiuſmodi Arcam, ſeu Archiuium prædictum irrumpere poſſint, ac ſcripturas corrodere.

*Videat, & interroget.*

AN Scripturæ, priuilegia, inſtrumenta, & ſimilia habeant ſummaria deſuper; ſi non habent, mandet, vt fiant.

An pro faciliori inuentione earum, Libros, & Scripturas vetuſtate conſumptas, tranſcribendas curent, & conſeruandas antiquas, & tranſcriptas.

An ſit, qui ſeruet illas, & ſucceſſori tradat per Inuentarium.

An ſeruetur ibi Inuentarium ſcripturarum Bibliothecæ, & Paramentorum Sacriſtiæ.

An Inuentaria bonorum, & reddituum ibidem cuſtodiantur; quot ſint, & cuſtodiantur; &, ſi non fuerint, mandet, vt fiant, & conſeruentur.

---

## *Libri, qui in Sacriſtia ſeruari debent, quos videat, & viſitet. Cap. L.*

LIBER Baptizatorum, & Confirmatorum.

Liber Matrimoniorum contractorum.

Concilia Prouincialia.

Conſtitutiones Synodales in diœceſana Synodo editæ.

Liber Decretorum Viſitationis.

Liber Canonum pænitentialium.

Liber Anniuerſariorum pro ſuffragijs defunctorum.

Forma Excommunicationum fulminandarum.

Liber bonorum, & reddituum Eccleſiæ.

Liber de ſtatu animarum, videlicet Matricula omnium animarum Ciuitatis, vel Oppidi.

*Libri*

## *Libri impreſſi, pro communi omnium neceſſitate, & commoditate, ibidem in Sacriſtia ſeruandi. Cap. LI.*

MISSALIA plura.
Biblia Latina.
Iuris Canonici corpus.
Concilium Tridentinum.
Catechiſmus Romanus.
Bullarium nouum.
Cæremoniale vnum.
Pontificale.
Rationale diuinorum officiorum.
Homiliarium.
Aliquæ Summæ.
Sacerdotale.

*Libri pro Choro.*

BREVIARIA duo magna.
Calendarium perpetuum.
Ritualia duo, & tot Baptiſteria.
Martyrologium vnum.
Directorium Chori vnum, vel plura.
Libri Proceſſionum quatuor, vel duo ad minus.
Libri omnes Cantus plani pro Miſſis, & alijs Diuinis Officijs canendis neceſſarij.

## *Alia Supellex Sacriſtiæ neceſſaria. Cap. LII.*

VASCVLA ænea cum chordis pro haurienda aqua.
Forcipes ferrei duo pro Hoſtijs conficiendis.
Cochlearia ferrea duo.
Vaſa olearia magna, & parua, plura, ad vſum lampadum.

Lampades

Lampades plures pro neceſſitate occurrente.
Lanternæ paruæ duo.
Scala geſtatoria.
Ligones varij.
Mallei ad minus duo.
Haſtilia, ſeu conti, perticæve quinque.
Tripodes cum vaſis ferreis ſuperpoſitis ad vſum ignis conſeruandi, cum ſuis forcipibus.
Focarij duo.
Spongiæ plures maiuſculæ.
Scopæ, ſiue penicelli maiores, & minores plures.

---

## *Viſitatio Tabellarum, quæ in Sacriſtia Eccleſiarum Cathedralium, & inſignium pendere debent.*
## *Cap. LIII.*

VISITET deinde, an in Sacriſtia ſint infraſcriptæ Tabellæ; &, ſi non inuenerit, mandet, vt apponantur, & in Sacriſtia appendantur.

Sunt autem infraſcriptæ: videlicet:

Tabellæ plures, Secreta Miſſæ continentes.

Tabella, Sacrarum Reliquiarum indicem continens.

Tabella Indulgentiarum.

Tabellæ duo, continentes orationes præparatorias ad vſum Sacerdotum.

Tabellæ item duo, orationes à Sacerdotibus, cum ſacras veſtes induunt, dicendas continentes.

Tabella omnium Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Clericorum, qui aſcripti ſunt ſeruitio Eccleſiæ.

Tabella Clericorum adſcriptorum, ſeruientium per hebdomadã.

Tabella Confeſſorum, pænitentium confeſſiones in illa Eccleſia audientium.

Tabella feſtorum dierum.

Tabella Miſſarum celebrandarum à Reuerendo Capitulo ſingulis diebus, & menſibus.

Tabella omnium Miſſarum celebrandarum ſingulis diebus,& menſibus per beneficiatos in Cappellis.

Tabella omnium anniuerſariorum celebrandorum in illa Eccleſia.

Tabella hebdomadariorum Sacerdotum pro Miſſis conuentualibus canendis.

Tabella Diaconorum, & Subdiaconorum per hebdomadam, ſeruientium.

Tabella, continens Bullam, in Cæna Domini legi conſuetam.

Tabella, continens Caſus Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo reſeruatos.

Videat poſtea diligenter ea, quæ in prædictis Tabellis continentur, an fideliter impleantur ab omnibus; & vnuſquiſque iniuncto ſibi oneri ſatisfaciat; Interrogetque ac perquirat, an ſuperioribus temporibus, ea omnia re ipſa præſtiterint, ad quæ tenebantur; decernatque, atque prouideat, prout iuris fuerit, & prout ſibi magis expedire videbitur.

## *Habitatio Sacriſtarum. Cap. LIV.*

DEMVM viſitet cellas Sacriſtarum; an honeſtæ, decentes, & commodæ ſint; an bene, & honeſte in illis verſentur; curetque, ne fiant ibi ludi, neve actus inhoneſti, & laſciui; & quod ſint in locis decentibus, & honeſtis; nec mulieres ingrediantur in eas; ſed ſancte, & honeſte ibi habitent, prope Sacriſtiam; prout commodius fieri poterit; & quod noctu, diuq. ibi ſemper vnus ſaltem aſsiſtat; & quòd habeat feneſtras in locis publicis; vt de nocte in neceſsitatibus poſsint vocari, & vt faciliter audiant vocantes, & clamantes.

Videatque, ac perquirat Viſitator, an egentibus præſto ſint, quando vocantur pro Sacramentis miniſtrandis, & præcipue de nocte.

## *Viſitatio Capituli, & Collegij.* *Cap. LV.*

Die N. Menſis N. &c.

REVERENDISSIMVS D.N. &c. proſequendo Viſitationem prædictam, voluit viſitare Capitulum ipſius Eccleſię in genere, vna cũ prædictis Coaſſumptis, vel plerisq. eorum, facto ſigno cum cãpana, ſtatuta hora, in ſua camera, coram ipſo, & prædictis, ad ſe vocari fecit Dignitates, Officiales, & Canonicos ipſius Eccleſiæ, nec non Procuratores eiuſdem Capituli, à quibus infraſcripta perquiſiuit.

Primo mandet, ac curet deſcribi primates Capituli, Canonicos, Officiales, Beneficiatos, Clericos, & Miniſtros; quam notam in ſcriptis dent, & libro Viſitationum colligetur.

Deinde nomina, numerus, dignitates, officia, & onera eorum, omnes requirendi ſunt, ac monendi; vt cum litteris ordinum, & beneficiorum conueniant; ſi non intendit viſitare quemlibet perſonaliter.

Interrogandi autem erunt, an aliquid ſoluatur ab ijs, qui Capitulo adſcribuntur, ac in eorum numerum coaptantur, etiam ab Archipresbytero, quomodo id fiat, ad quem vſum deſeruiat; tum quid ante Concilium, quidve poſt ſoluatur; ad cuius manus pecunia illa perueniat, quantum retineat, & an in alium vſum, quàm Eccleſiæ, erogent; an verò in comeſſationibus abſumant.

Videndum poſtea, an iurent, ſe Statuta, ac Conſtitutiones Capituli ſeruaturos ſimpliciter, & an in aliquo deficiant.

Pari ratione, an in eis contineatur excommunicatio, & an confirmata ſint ſtatuta, & à quo, & quæ ſint illa, videat.

Inquirendum, an alia habeant beneficia, quot, & quæ, & in quibus Eccleſijs; an omnia in vna, &c. Quod ſi quis plures Canonicatus, vel beneficia habeat, debet prouideri circa pluritatem, prout iuris; & circa fructus male perceptos, eo magis ſi fuerint ſub eodem tecto.

An ſit aliquis abſens, & quandiu, & ſi participat fructus, ac quotidianas diſtributiones.

An domos pro habitatione Canonicorum habeant. Quærendum, an illas ſemper habitent, an vero alijs locent, & quibus, & an alias ipſi prope Eccleſiam cohabitent, vt facilius, ac commodius inſeruiant.

An in

An in communi viuant. Quærendum eſt, & omnia notentur, prout inuenerit. Qui modus in viuendo: quæ rerum communicatio: quæ obſeruantia.

Quærendum, an omnes redditus Eccleſiæ ſint in communi, an vero Præbendas ſinguli habeant; an ve aliqui, ex communibus participent, & ſimul habeant etiam Præbendas ſuas.

Si communes fuerint redditus, in quo conſiſtant; quomodo, & à quibus miniſtrentur, quove modo, & quando diuidantur; quid cuique, & quantum Vicario, ſi eſt, & non ſit Cathedralis, obueniat.

Quæ expenſæ fiant, quæ onera, quibus incumbant, & an fraus aliqua committatur; & an ratio reddatur à miniſtris; & cui, & quando.

Quod ſi Præbendæ ſingulorum ſint diſtinctæ, videndum, quomodo inter ſe diuiſæ ſint; quis modus ſit in optando; quis locus in Choro, & in proceſſione, an per promotionem, an verò ſecundum ordines.

An habeant Eccleſias, Altaria, aut Cappellas annexas. Videatur, an ſit in illis aliquis titularis; & quid à quaque annexa percipiat; & quæ ſint bona cuiuſlibet; vt, habita illorum ratione, poſſit iniungi, vt fiant ornamenta, vel reparatio, ſi neceſſaria erit.

Quæratur etiam, quomodo, & per quos in annexis ſeruiatur, & ſi ſatis ſit plene oneribus eis impoſitis.

An ſint aliqui redditus addicti functionibus prædictis.

An habeant Archiuium commune Scripturarum; videatur, qui nam eius claues teneant, & an poſſint ab illo Scripturæ transferri ſine licentia, & ſubſcriptione, ſeu alia cautela.

Habeant Inuentarium Scripturarum, & exemplum verbotenus deſcriptum, quod apud ſe teneant: habeant etiam Summarium Scripturarum, & cuſtodiatur cum Scripturis in Archiuio.

An habeant Catalogum, Cataſtum ſtabilium authenticum, & cum finibus nouis noſtri temporis.

Innouandum eſt, niſi ſit iam innouatum, & antiquum conſeruandũ.

Eligantur, ac deputentur à Capitulo, qui referant, & oſtendant fundationes, priuilegia, ſtatuta, & iura omnia, & dicant conſuetudines non ſcriptas, ad hoc, vt, quæ bonæ ſunt, deſcribantur, ac in Actis Viſitationis redigantur, malæ verò reijciantur, ac aboleantur.

Quæratur, quæ ſit eorum obligatio in Miſſis, & alijs Diuinis Officijs, & an ſatisfaciant.

An ſint plura Anniuerſaria per Capitulum celebranda; & ſi ſint plura eodem die, quomodo ſatisfiat omnibus; curet, vt omnia celebrentur diebus ſtatutis.

Deputandi ſunt aliqui Canonici, aut aliàs Beneficiati, docti, & bonæ, integræ, ac incorruptæ vitæ, qui videant Scripturas antiquas, &

colligant obligationes, & onera, ad quæ tenentur, & illa in ordinem redigant, ac in tabella deſcribenda, & publice proponenda curent; etiam intra debitum terminum illius exemplum verbotenus fideliter deſcriptum Viſitatori tradant; vt in libro Viſitationis adſcribatur, ac in Actis referatur.

Habeant etiam omnia onera relicta à defunctis in publica Tabella deſcripta; vt omnes videant, ad quid tenentur, & ſciri poſsit, an ſatisfiat.

Quod ſi eis cura animarum iniuncta eſt, habeant Parochiæ ſuos deſcriptos fines, & exerceant omnia, quæ dicenda ſunt infra, cum de Parocho agemus.

Videatur poſtea, quis exerceat curam animarum, qua ratiòne id faciat, an ſit Vicarius perpetuus, quantum habeat mercedis, an ab Ordinario ſit approbatus.

Compareat coram Viſitatore, præſentet approbationem, & Bullas, & examinetur, vt infra de Parocho dicetur.

An ſint aliqui redditus pro Fabrica, aut pro Sacriſtia, aut pro Cappella Sanctorum.

Deinde, ſi ſunt, quæratur, an ſint diſtincti ab alijs: in quo conſiſtant: à quo exigantur: quomodo adminiſtrentur, & expendantur: an ad hunc vſum relicti redditus, ac deſtinati ad alium vſum conuertantur: puta, ſi de Fabricæ redditibus reparentur domus, quas locant; aut alia quæuis fierent, non pertinentia ad Fabricam ipſam.

De redditibus Sacriſtiæ, videndum eſt, an electi, & ad id potiſsimum deputati poſſint vſque ad quamcumque ſummam impendere abſque Capitulo, & qui interueniant in impenſis faciendis, & quàm vtiliter expendantur huiuſmodi redditus.

Videndum eſt etiam, quomodo, quoties, & cui reddant rationes, & an Librum Rationum habeant, exhibeantq. illum Viſitatori.

Quærendum, quos, & quot officiales habeant, quomodo creentur, an per vota, & ſuffragia ſecreta, & an tunc ambitus, & corruptelæ in eorum creatione, & an cantetur prius Miſſa Spiritus Sancti.

An eligentes, iuramentum præſtent de fideliter eligendo, & electi de fideliter adminiſtrando.

An eligant coram Vicario, vel Superiore: an ipſe habeat votum.

Quæ munera ſingulis officialibus incumbant. Si non ſunt ſcripta, ſcribantur.

An ipſi pro ſe obeant diligenter, & fideliter ea munera.

An aliquod præmium habeant pro officio.

An aliqui recuſent officium ſine legitima cauſa, probanda coram Vicario. Non liceat.

Qualis

Qualis adminiſtratio redditūum: an ſemper ijdem adminiſtratores: an ſingulis annis rationem reddant de tota adminiſtratione coram Capitulo,& Vicario,aut Superiore,& de expenſis quotidianis. An ſingulis menſibus in Capitulo,vel coram aliquo officialium, vel computatore, rationem identidem reddant.

An ſit computator vel Computiſta ordinarius, vel eligatur à Capitulo.

An ratio diligenter exigatur ab omnibus; ſine differentia.

---

## *Capituli Congregatio. Cap. LVI.*

QVOTIES, & quando conueniant in Capitulo. An congregetur ad ſonum Campanę conſuetum. An coram officiali Epiſcopi.

An, priuſquam incipiatur Capitulum, fiat oratio, & preces pro Congregatione; & quæ ſint.

Si non conſueuerint orationem præmittere,mandet, vt in poſterum id faciant, eo, qui ſequitur ordine. Semper igitur, poſtquam fuerint omnes congregati, & genuflexi, qui inter eos principem locum obtinet, vt puta Epiſcopus,vel Vicarius, vel, ſi non intereſt Vicarius, primus Capituli pariter genu flexus, vel hebdomadarius,& capite detecto, dicat orationem ſequentem: videlicet:

*Oratio.*

ADſumus, Domine Sancte Spiritus; adſumus quidem peccati immanitate detenti, ſed in nomine tuo ſpecialiter congregati: veni ad nos, & eſto nobiſcum, & dignare illabi cordibus noſtris. Doce nos, quid agamus,quo gradiamur,& oſtende,quid efficere debeamus; vt te auxiliante tibi complacere in omnibus valeamus: eſto ſalus, & effector iudiciorum noſtrorum, qui ſolus cum Deo Patre, & eius Filio nomen poſsides glorioſum: non patiaris perturbatores eſſe iuſtitiæ, qui ſummam diligis æquitatem: non in ſiniſtrum nos ignorantia trahat, non fauor inflectat, non acceptio munerum, vel perſonæ corrumpat: ſed iunge nos efficaciter tibi, ſolius tuæ gratiæ dono; vt ſimus in vnum, & in nullo aberremus à vero; quatenus in nomine tuo collecti ſic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iuſtitiam, vt hic à te in nullo diſſentiat ſententia noſtra, & in futuro pro bene geſtis

conſequa-

conſequamur præmia ſempiterna. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. Amen.

Deinde dicat orationem.

Oremus. Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præueni, & adiuuando proſequere: vt cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat,& per te cœpta finiatur. Per Dominum noſtrũ, &c.

Qua finita, omnes reſpondent Amen.

Poſtea incipiant negotiis,ac actionibus vacare.

Et finita Congregatione iterum repetatur oratio, Actiones noſtras, &c.

An admittantur ad ſuffragia danda in Capitulo,qui non ſint ſaltem Subdiaconi.

a Conc.Trid. ſeſſ.22. c.4. de refor.

An ſit aliquis Canonicus non Subdiaconus [a].

An Capitulum agant in Eccleſia, & in loco Capitulari,vel vbi.

An habeant locum determinatum,& ſolitum.

An diebus feſtis,& tempore Officiorum Diuinorum caueant Capitulum congregare.

An abſque Vicario,vel abſque licentia eius,& conſenſu,in quolibet actu congregetur.

An quiſque ſuo loco ſedeat, & modeſte proponat, & reſpondeat, abſque ſtrepitu, iurgijs, & cachinnis indecentibus.

Quæ res ibi tractentur, & an per ſuffragia ſecreta.

An ſoli Canonici interſint rebus agẽdis,an etiã alij de Choro,& qui.

An Excommunicatio in reuelantes, quæ ſecrete in Capitulo tractantur, ſit decreta.

An ibi Eccleſiæ vtilitatem ſincere procurent, vel proprijs animi affectibus in diuerſa trahantur.

## *Canonicatus, & Præbendæ. Cap. LVII.*

INTERROGET primo, ſi ſint in communi, an quis habeat Præbendam ſeparatam.

An quilibet Canonicus habeat Præbendam ſuam.

Quot redditus habeat, & in quibus conſiſtant.

Quot Canonici ſint,notentur.

An habeant cum Canonicatibus Eccleſias, vel Cappellas annexas.

Et an illæ Eccleſiæ, vel Cappellæ habeant alia onera,& quæ.

An illa onera compleantur,& an ſint compatibilia.

An ha-

An habeant officia, & ordines annexos.

An ſint diſtinctæ Præbendæ Sacerdotales, Diaconales, & Subdiaconales. Scribantur omnia, & annotentur ſeparatim.

An ſeruiant in communi, vel per hebdomadas.

An alij Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi deſeruiant, & quid eis competat pro ſeruitio.

An ſoli Canonici canant Miſſas conuentuales diebus feſtis, & ferialibus, an etiam Presbyteri, & quomodo deſeruiant.

An præcedant in Choro, ac proceſſionibus per promotionem, vel per ordines annexos, an per antiquitatem, an verò ſecundum dignitatem, & conſuetudinem antiquam Canonicatuum, qui habent primum locum, qui ſecundum. &c.

An deferant in Choro, & in proceſſione almutium, vel capucium ſuper ſuperpellicio.

An habeant vocem in Capitulo, & ſtallum in Choro.

An, cum moritur aliquis Canonicus, conſtituant illi exequias intra aliquos dies.

---

## *Locationes. Cap. LVIII.*

AN locationes[a] vltra triennium fiant, vel ſingulis tribus annis innouentur. a Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 11. de refor.

An fiant conſanguineis, etiam per interpoſitam perſonam.

An remittantur caducitates.

An aliqua occupari permittantur à quopiam, & detineri.

An alienent, perceptis ante, & anticipatis fructibus.

An aliqua Eccleſiæ bona alienata contra ſacros Canones ſint.

An in locationibus fraus aliquæ Eccleſiæ, vel communibus redditibus fiat.

An ex oblatis condicionibus melior ſemper, & vtilior accipiatur; ſine exceptione perſonarum etiam Eccleſiaſticarum.

An ſint aliqui deputati ad viſitandas poſſeſſiones, fines, & domos Eccleſiæ, & Præbendarum, & Canonicorum. Hos curet Viſitator, vt videant, an reparatione, & refectione indigeant aliqua.

An ſingulis domibus, & apothecis ad cenſum illius Eccleſiæ pertinentibus, ſit pictum, vel inſculptum ſignum illius; vt dignoſci poſsint. ſi non ſit, apponendum curet, ac mandet.

## *Lectiones ſacræ.* *Cap. LIX.*

a Conc.Trid. ſeſſ.5. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 4. de reformat.

AN ſit prouiſum de lectione a ſacræ Theologiæ, an legatur, & à quo.

An conſtituta ſit illi Præbenda Theologalis, iuxta Decretas Concilij Tridentini.

An ſit lectio Caſuum conſcientiæ.

An ſit Præceptor Grammatices, & Muſices.

An doceatur, & legatur Doctrina Chriſtiana.

An omnes pueri accedant ad illam audiendam, ac perdiſcendam.

Si ciuitas ſit magna, legatur, & doceatur in pluribus Eccleſijs, facto ſigno cum campana, pro vt fit in Ciuitate Andriæ, in qua in ſeptem Eccleſijs pueri doctrinam Chriſtianam docentur de noſtro mandato.

An prædicetur Verbum Dei mane diei feſti totius anni, prout in Ciuitate Andriæ faciendum curauimus, & mandauimus: in qua de noſtro mandato ſingulis diebus Dominicis, & feſtiuis Magiſtri diuerſarum Religionum in Ciuitate exiſtentium, per orbem, quilibet concionatur vno die Verbum Dei, in noſtra Cathedrali: & poſt prandium leguntur in Eccleſijs Conuentuum Religioſorum Lectiones ſacræ, poſt veſperas.

An cantentur Litaniæ D. N. Ieſu Chriſti, etiam deuota proceſſione ſingulis ſextis ferijs Menſis Martij; prout in Ciuitate Andriæ cum Muſica fieri præcepimus.

An cantentur Litaniæ Beatiſsimæ Virginis Mariæ ſingulis diebus Sabbathis, & vigilijs Feſtiuitatis eiuſdem veſperi ad ſignum Salutationis Angelicæ; prout cum Muſica mandauimus fieri in noſtra Andrien.

Quas Litanias Ieſu, & Beatiſsimæ Virginis expreſſe per noſtram Eccleſiam, imprimi curauimus: & in fine operis imprimentur, pro augenda deuotione fidelium.*

Sed nõ habentur impreſſae.

An ſit in Ciuitate Societas Sanctiſsimi Roſarij Beatiſsimæ Virginis. ſi non fuerit, hortetur omnes, mandet, ac iubeat inſtitui, ac erigi.

Diuina

*Diuina Officia in Choro; tum etiam circa habitum, tonſuram, reuerentiam, & obedientiam præſtandam. Cap. LX.*

AN omnes in habitu, & tonſura [a] incedant, vt tenentur.

[a] Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. de reformat.

Caueant, ne veſtes, & caligas habeant diuerſis coloribus diſtinctas, ſed nigras tantum; nec ſericas, nec inciſas, ſed integras, nec pileo faſtigiato, ac oblongo vtantur, ſed decenti, ac demiſſo.

An omnes Superiori ſuo ſint obedientes.

An inferiores Superioribus aſſurgant, eisq. debitam reuerentiam exhibeant.

An inter ſe honores deferant.

An negotijs ſæcularibus ſe immiſceant.

An laicis inſeruiant.

An omnes in officio ſuo pie, ac deuote ſe gerant.

An omnes aſſidui in Diuino Officio perſiſtant.

An omnes aſſidue, vel per hebdomadam inſeruiant.

An aliquis Choro vacare, ac inſeruire ſubterfugiat.

Quomodo inter ſe diſtribuant ſeruitium, & quomodo ſeruiant.

An habeant indicem dierũ, in quibus omnes conueniant. exhibeant.

An habeant feſta propria, & quæ. exprimant.

Quod Officium recitent, quamve Miſſam dicant.

An nocturnum, an diurnum in Choro perſoluant.

An debitis, modo, & tempore id faciant.

An in Choro recitent Officium Beatæ Virginis.

An vmquam Officium Mortuorum recitent, vltra dies ſtatutos in Breuiario.

An ordine exeant è Sacriſtia in Chorum.

An ſtatim, ac in Chorum peruenerint, genuflectant, & orent.

Si ſuper Altari maiori ſeruatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, genibus flectant capite detecto, & orent.

An eodemmet ordine è Choro diſcedant.

Superpellicium in Sacriſtia, & non in Choro induant.

An vmquam recitent Officium extra Chorum, & vbi.

Qua hora, & per quantum temporis ſpatium Campana pulſetur in ſingulis Officijs.

Et an determinatus ſit terminus pulſationis.

An in vltimo pulſationis detur particulare ſignum; vt ſciant, & cognoſcant alij.

Qua hora incipiant, & quis mandet incipi.

An aliquis expectetur.

An omnes in Choro cantẽt, etiã Dignitates, Officiales, & Canonici.

Sed, quid de illis, qui neſciunt canere, aut vocem non habent?

An diſtincte Diuina Officia pronuncient.

An fiat pauſa in medio Verſiculi.

An omnes pari voce, & deuote canant.

An in recitando verba tranſcurrant in ſyncopen.

An vnum verſum incipiant ante finem alterius.

An Canonici canant Lectiones, & quas.

An Euangelium Paſſionis in Hebdomada Sancta.

An perſonaliter omnes deſeruiant, an per ſubſtitutos.

Omnes perſonaliter abſque exceptione ſeruire compellantur, iuxta decreta Sacroſancti Concilij Tridentini [a].

ſeſſ. 24. c. 12. de refor.

An prædicta cum diſtributione, vel ſine fiant.

An omnes ſeruientes participent, ac quot annis ſeruire debeant; vt participantes fiant, vel quomodo.

---

## *Miſſæ Conuentuales, & priuatæ.*
## *Cap. LXI.*

AN omnes etiam cantẽnt Miſſam Conuentualem, & in quibus, qui non, cum Canonicis miniſtris illas Miſſas cantent.

In noſtra Cathedrali Andrien. omnes Miſſæ Conuentuales ſingulis diebus etiam feriatis, & etiam in Miſſis Anniuerſariorum mortuorum cantantur ab hebdomadarijs, & alijs Sacerdotibus per circulum, cum miniſtris, paratis cum dalmaticis, coloris tempori congruentis.

An ſit Tabella in Sacriſtia, in qua ſint notati, & deſcripti, qui Miſſas Conuentuales ſingulis diebus cantare teneantur.

In Miſſis Conuentualibus quis ordo ſeruetur.

An diebus ferialibus ſemper cũ miniſtris indutis dalmaticis canatur.

Si forte

Si forte non affuerit, cui incumbit onus illam canendi, quid agatur.
An tunc ſit aſſignata diſtributio illi, qui pro eo ſupplet.
An Sacerdotes frequenter celebrent [a].
An frequentius Parochi.
An ſcribantur celebrantes diebus Dominicis, & ſollemnibus. In noſtra Cathedrali ſcribuntur. Et ſic omnes celebrant ſingulis diebus Dominicis.
An alij frequenter communicent ſimul, ſaltem diebus feſtiuis, & inſignioribus.
An bene ſciant cærimonias Miſſæ, easq. ſeruent.
An ordinate exeunt à Sacriſtia, iuxta Conſtitutiones Synodales.
An omnes, iuxta eorum onera, in Tabella deſcripta ſatisfaciant.
An Miſſa defunctorum ante vel poſt Conuentualem [b] feria ſecunda canatur. Non prætermittatur; niſi eo die occurrat feſtum ſollemne.
Quando conueniunt in orbem ad orandum pro defunctis, an ibi ordinate procedant, adſint, cantent, faciant prout in Choro.
An omnes candelas accenſas in manibus teneant.
An pactiones in ſepeliendis defunctis faciant.

a Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 13.

b Cum ex creatura, de celeb. Miſſ.

---

## *Quomodo verſandum ſit in Choro.* *Cap. LXII.*

AN orantes ante Sanctiſsimum Sacramentum Euchariſtiæ, genu flectant; &, quoties inde tranſeunt, id faciant.
An ſimul omnes, quando opus eſt, genuflectant, ſurgant, caput aperiant ad prolationem nominis Ieſu, Mariæ, Gloria Patri, &c.
An omnes ſui muneris periti ſint.
An etiam miniſtri in Choro decenter conueniant.
An quiſque per ſe ſuo munere fungatur.
An ſoleant inter ſe mutare hebdomadas, & dies.
An in Choro quiſque ſuum locum teneat.
An in ſedendo, & in Proceſsionibus ſeruetur ordo promotionibus, vel quo ordine ſedeant, incedant.
An laici in Choro ſedeant. Prohibeantur.
An ſeruetur ſilentium in Choro, & Proceſsionibus.
An legant alia officia, præter illud, quod legitur in Choro. Non prætermittat.

An, dum cantatur Miſſa, legatur Officium in Choro. Similiter non permittat.

An legant litteras, & libros in Choro, & in Proceſſionibus. Prohibeat omnino.

An colloquia habeant inter ſe, aut cum laicis.

An permittant in Choro publicas errantium deriſiones, vel dormientes.

## Diſtributiones. Cap. LXIII.

AN ſint diſtributiones quotidianæ, iuxta Concilium.

Quantæ ſint, & an dentur ijs, qui Diuinis Officijs non interſuere.

An propter aliam cauſam, quam propter inſtantem corporis neceſsitatem, è Choro exeant.

Et an in eorum arbitrio ſit reditus, vel cuius.

Et an in Choro negotijs vacent, ac rebus inanibus.

An aliqui abſint, & quas abſentiæ cauſas adducant.

Quomodo probentur huiuſmodi cauſæ, præcipue vbi agitur de neceſſitate, & vtilitate Eccleſiæ.

An ſe ægrotos fingant, vt Chorum declinent, & an de infirmitate perquiratur.

Qualis debet eſſe infirmitas, quæ aliquem excuſet.

Si ex aliqua alia cauſa erant abſentes, quam cauſa infirmitatis, prouideat Viſitator.

Infirmi etiam, qui, cum bene valerent, non ſolebant conuenire, non percipiant diſtributiones quotidianas.

Nec percipiant iuſta de cauſa in vincula coniecti, vel excommunicati, ſuſpenſiue.

Interroget, quomodo diſtribuantur fructus Canonici, vel Presbyteri demortui inter hæredem, & alios.

An aliqua colluſio etiam poſt receptam pecuniam fiat inter Canonicos.

An in computis remiſſiones fiant.

An in his computis obſeruentur notationes punctatorum.

Punctatores,

## *Punctatores, & qui abſentes, ſeu errantes notent.* *Cap. LXIV.*

PVNCTATORES, quo modo creentur,& an iurent ſe fideliter ſuo munere functuros.

An confirmentur, vel approbentur ab Epiſcopo, vel eius Vicario.

An ſingulis annis mutentur.

An in Choro publice notent, ſtatim lapſo tempore, eos, qui non interfuere, in Libro ad hoc fideliter confecto, & ſine perſonarum exceptione, non expectantes, aut excuſationem vllam admittentes.

An etiam notent tranſgredientes, colloquentes, & ridentes indecenter.

An etiam notent non recte obeuntes munus ſuum.

An alicui pareant, an vlli oſtendant Libros Punctationum.

Quando, ideſt ad quem Pſalmum punctare ſolent, ac notare abſentes.

An idem Punctator notet deficientes, & errantes in circulis promortuis.

An idem in proceſſionibus in tranſgredientes, colloquentes, & locum ſuum deſerentes, & non obſeruantes quæ in Conſtitutionibus Synodalibus continentur, faciat.

An Punctatores ſint probatæ vitæ, & morum.

An ab aliquo nimis terreantur verbis, aut minis.

An ſint Canonicorum nutu amouibiles.

An ſingulis menſibus in Capitulo habeatur ratio errantium coram Vicario.

An in fine cuiuſlibet menſis oſtendantur Epiſcopo, vel Vicario Punctationes.

Si reperti fuerint ſimul colludentes, tam errantes, quàm conſentientes, puniantur ab Epiſcopo.

An dormientes, facta prius monitione, punctentur.

An etiam diſcedentes, qui ſtatim non reuertuntur, habita ratione neceſſitatis corporis, adnotentur.

An aliqui, ridentes ſe punctatos, ac notatos, recedant, nec intereſſe Diuinis Officijs poſt modum curent.

Eligendus

Eligendus eſſet Præfectus Chori, qui, abſente Vicario, Chorum regat, & habeat Indicem omnium punctandorum, ne per abſentiam Vicarij, quid debita diligentia, relaxetur.

Eligendus pariter eſſet, qui laicos prohiberet ingredientes Chorum; & ibi indecentia fieri non permitteret.

## *Cærimoniarum Magiſter, ſiue Præfectus, & Cærimoniæ.* Cap. LXV.

AN ſit Magiſter Cærimoniarum. Si non eſt, inſtituatur.

An ei omnes, ſine contradictione, in ijs, quæ ad Cærimonias, & Diuina Officia pertinent, obediant.

An quotidie Cærimonijs Præfectus adſit in omnibus Diuinis Officijs, & etiam in ferialibus.

An perlegātur, quæ legēda, vel canantur, quæ canēda ſunt in Choro.

An pœna imponatur errantibus.

An ipſe Magiſter Cærimoniarum denuntiet ſingulis ſuum officium.

An etiam ſingula miniſtrorum munera.

An etiam conficiat Tabellam ſingularum hebdomadarum.

Qui, quæ, quo tempore, quoue ordine.

An Cærimonias diuerſas ab alijs habeat, eaſq; doceat.

An Cærimonias nouas ordinatas doceat, & ijs inſtruat Clerum.

Conformet ſe, in quibus poteſt, cum Cærimoniali Sanctiſſimi D. N. & rubricis Pontificalis.

An curet, vt omnia recte, & decenter fiant.

## *Diaconi, & Subdiaconi.* Cap. LXVI.

EPISCOPVS, vel Viſitator, Diaconos, vel Subdiaconos viſitare intendens, primo animaduertat, an rite, & recte ordinati ſint; vitamq. eorum ante actam, actionesq. præſtitas, vel ne, videat; ſi ætatem à Sacro Concilio Trid. præſcriptam habeant.

An deferant tonſuram, & habitum talarem, ordini congruentem.

An à ſuis Parochis approbati, à quibus; curet, ſciat; ſi ordines bene exercent, & miniſtrant.

An com-

An communionem frequentauerint.

An Diuinas horas Canonicas recitare ſciant. Exprimant, & an quotidie recitent.

An bene ſciant ea, quæ ad eorum ordinem, officium, & functionem pertinent.

An ſciant Eccleſiæ Sacramenta, peccata mortalia, opera miſericordiæ, & reliqua in Doctrina Chriſtiana contenta, bene, & explicitèr declarare.

An litteras Latinas, & bene legere ſciant; &, ſi intelligunt, & declarant quæ legunt.

Et, ſi vberius examẽ Viſitator facere voluerit, videat Examen ordinandorũ ſuper hoc. nam quædam breuitatis cauſa prætermittuntur.

Demũ Viſitator diligenter videat, & perquirat, ne ordinati, vel ordinandi, aliquo Canonico impedimento irretiti ſint; qui ſunt: videlicet:

Minores natu.
Sacramento Chriſmatis non confirmati.
Rudes, & ignari.
Criminoſi.
Sollemniter pænitentes.
Neophyti.
Ebrietati, & gulæ dediti.
Impudici.
Lapſi poſt ordinem ſuſceptum.
Periuri.
Vſurarij manifeſti.
Infames.
Ratiocinijs obligati.
Serui.
Corpore vitiati.
Inſigniter deformes.
Illegitime nati.
Peregrini, & ignoti.
Bigami.
Irregulares quo vis alio modo.
Suſpenſi.
Interdicti.
Excommunicati.
Amentes.
Morbo caduco laborantes.
Energumeni.
Non examinati, & probati.

Quod

Quod ſi Viſitator aliquem ipſorum aliquo prædictorum impedimẽtorum irretitum inuenerit, ſuſpenſum,& irregularem declarabit, ad Sanctamq. Sedem Apoſtolicam remittat, diſpenſandum.

*Poſtea interroget,*

AN Choriſtas,Diaconos, Subdiaconos,& alios,cærimonias recte obire doceat Præfectus cærimonijs.

An Diaconus, & Subdiaconus ſemper partem miniſtrent.

An ſemper,an verò diebus feſtis præmittant confeſſionem.

An diebus Dominicis, & ſollemnibus communicent.

Quando non adeſt,cui incumbit onus Diaconi,vel Subdiaconi, quid agendum.

An diſtributio ſit illis aſſignata, & an ſit æqualis cum Presbytero,& quæ, quantave.

An in Aduentu vtantur Dalmaticis plicatis.

An modeſti,& reuerentes ſint,cum ad Altare miniſtrant.

An ſciant omnia, quæ ad eorum munia obeunda ſpectant.

An in dando Incenſo alloquantur aliquem, an rideant, aliudve indecens faciant.

An in dando Pacem, aliquod indecens committere conſueuerint.

An in Antiphonis intonandis ſimilia faciant.

---

## *Proceſsiones. Cap. LXVII.*

AN, & quando fiat Proceſſio per Eccleſiam.

Quomodo Cærimoniarum Magiſter ſit diligens in Proceſsionibus ordinandis.

An etiam fiant aliæ Proceſsiones,quot,& quibus diebus, & quo ordine, & modo.

An ordinate incedant,exeant,& reuertantur decenter.

An tunc,cum fit proceſsio,omnes canant, & à colloquijs abſtineãt.

An honeſte, & modeſte,ac deuote gradiantur.

An congruenti interſtitio interpoſito bini procedant.

An ad Proceſsionem congrue conueniant.

An controuerſia de præcedentia, & loco inter aliquos ſit.

An omnes ſecundum eorum promotionem, & dignitatem incedãt.

An adſit

An adſit Præfectus, Punctator, & nota punctandorum, & quæ diſtributio portionum intra, & quæ extra Eccleſiam fiat.

---

## *Cantores in Cappella Muſices. Cap. LXVIII.*

AN Magiſter Cappellæ ſit verſatus in arte, & inſtructus eorum, quæ dicenda ſunt.

Cantores an ſint Clerici, aut ſaltem veſtibus ad talum demiſſis, & ſuperpellicio induti, cum Clericali apice, & interula ad collum, non in rugas obducta, plicatave.

An vbique tales ſint, vt Eccleſiæ miniſtros decet; an vero in Eccleſia tantum.

An aliquando à Choro deficiant.

An colloquijs, riſui, cachinnis, & alijs inter cantandum vacent.

An præter organum, cætera excludantur inſtrumenta.

An recitentur Verſiculi organo canente, & Antiphonæ.

An aliquid profanum in organo, & Muſicis cantetur.

An, quæ canenda ſunt, ſonentur in organo, & è contra.

An deuote verſentur in Cappella.

An pueri ibi pro ſupranis interueniant.

Quæ cura puerorum cantantium habeatur, & à quo, vt bonis moribus, doctrinaq. Chriſtiana inſtruantur.

Curet omnino, vt ſoli dormiant.

An in domibus priuatorum Pueri ad cantandum vadant.

Quantum cuilibet cantori ſoluatur pro mercede, & vnde.

Quomodo introducantur, & dimittantur.

An ad libitum canant alterius, an vero ipſi prout ſibi libuerit.

## *Cappellani, & Sacerdotes. Cap. LXIX.*

EXQVIRAT Viſitator, & interroget de Cappellanis, & Sacerdotibus, qui celebrare tenentur; & numerum deſcribat, & nomina, cognomina, ætatem, & patriam eorum.

Curet, per ipſos exhiberi licentiam celebrandi, examen, &, ſi aduena ſit, litteras dimiſſorias.

An ſimul omnes habitent, & vbi.

An habitu, & tonſura decenti vtantur.

Quæ ſint eorum munera.

An ſint obligati ad celebrandum quotidie.

An ad Miſſam celebrandam, ſe ordinatim diuidant, ne ſimul plures celebrent, & poſtea, cum populus frequens conuenire ſolet, nullus ſit, qui rem ſacram faciat.

An ſit ei aſſignata merces, ſiue (vt dicunt) prouiſio, & quòmodo.

An habeant Cappellam.

An Cappella habeat ſacras Veſtes, Calicem, Miſſale, ac cætera ad vſum rei ſacræ faciendæ neceſſaria, vt dictum eſt [a].

[a] Sup. in Viſitatione Capellæ.

An ipſi habeant prædicta.

An ſuo munere fungantur.

An in Choro cantare detrectent.

An inter cantandum colloquantur.

An celebretur aliqua Miſſa in aurora.

An vſque ad meridiem pro nobilibus, curialibus, & alijs.

An celebrent ſimul in Altaribus ſibi inuicem oppoſitis, vel adeo propinquis, vt alter alteri ſit impedimento.

An rite, & deuote celebrent.

An cærimonias, & rubricas bene ſciant, & obſeruent.

An in feſto duplici celebrent prò mortuis.

An tunc etiam Miſſas votiuas celebrare conſueuerint.

An intermiſceant orationes, [b] præter illas, quæ ſunt in Miſſali nouo.

[b] Conc. Trid. ſeſſ. 22. decr. de obſer. & euit.

An aliquis eorum expectet eleemoſynas, alias celebraturus.

An ante portam Eccleſiæ ſtans, officiumque, & horas recitans, eleemoſynas expectet pro re ſacra facienda.

An eleemoſynas paruas oblatas dedignentur.

An à Sacriſta diſponente congruis temporibus ad celebrandum accedant.

An, cum

An, cum ſacris veſtibus induti ſunt, colloquantur.
An ſe præparent oratione præmiſſa, & Miſſam perlegant prius.
An ſemel in hebdomada, an vero pluries confiteantur.
An birretum, aut quid aliud ſupra Altare ponant.
An, cum celebraturus à Sacriſtia exijt, ſupra Altare moretur, aliquem expectando.
An, inchoata Miſſa, ſubſiſtant, & initium repetant in gratiam alicuius, & vnde repetunt.
An omnia prius deponant ſupra Altare, antequam incipiant.
An finita Miſſa, capite cooperto grauiter Sacriſtiam repetant, Pſalmos, uel alias Sacras Orationes recitando.
An ſemper Clerico præcedente.
An, finita Miſſa, Deo gratiæ agantur.
An mox ad confabulationes, & vaniloquia accedant.
An habeant alias Cappellanias, & quibus oneribus grauatas.
An habeant plura beneficia, & tum, an ſub eodem tecto, vel vbi locorum.
An habeant beneficia, reſidentiam requirentia.
An alteri arti, ſiue exercitationi vacent, &, quæ ſit, exprimant.
An habeant lites, & quot, & quarum rerum occaſione.
Cuius condicionis ſint, an ſeruitio alterius addicti, & cui, & an laicis famulentur. Caueant.
An tabernas, ſiue cauponas ingrediantur, easq. frequentent. Caueant, niſi in itinere.
An ad emendum ſibi publice neceſſaria, & an ea per ſe ipſos ferant. Non debent, ſi fieri poteſt.
An aliqua prohibita in Collegiatis committant.
An ſint ſordidi, & veſtibus conciſis, & immundis incedant.
An ſæpe barbam circa os præcipue tondeant.
An inter ſe pro eleemoſynis iurgia, & rixas committant.
An vmquam inter ſe ipſos de defectibus occurrentibus conferant.
An habeant Librum Ordinationis Miſſæ.
Quos Libros habeant, quosve frequenter lectitare conſueuerint: habeant ne ſaltem à Diœceſana ſynodo mandatos.
Hi ſunt libri, quos quilibet Sacerdos ad minus habere debet.
Bibliæ, aliquæ Summæ, Breuiarium, Miſſale, Officiolum Beatiſſ. mæ Virginis, Conſtitutiones Synodales, Prouinciales, Conc. Trid. Rituale, & alij ſimiles, &c. Nec permittat Viſitator, eos, libros laſciuos, quo vis pacto, apud ſe tenere.
An punctentur deficientes, & peccantes, ab aliquo deputato.
An ſtatim poſt Miſſam vadant ad comedendum.

L 2 An ho-

An honeſte, & modeſte viuant.
An cum mulieribus cohabitent, & cum quibus.

## *Viſitatio Clericorum.* *Cap. LXX.*

CLERICI etiam viſitandi ſunt circa eorum munia, & ordinum functiones, in quibus initiati ſunt.

Et videat, vt alicui Eccleſiæ aſcripti ſint, à qua non liceat recedere ſine Epiſcopi licentia, ſed ibi inſeruire, iuxta ſanctionem Sacroſancti Concilij Tridentini.

Et quilibet ordinandus, ſciat, antequam ordinem ſuſcipiat, de eo periculum, & experientiam fieri debere, non ſolum in litterarum ſcientia, natalibus, moribus, & vita, ſed etiam in cantus peritia, quam omnes Clerici cuiuſuis ordinis, præcipue maiorum, callere debent, & in recitandis Diuinis Officijs, Horis Canonicis, Precibusve.

Et videat, ſi in eorum ordinationibus fuerint prædicta omnia, & quæ à Sacroſancto Concilio Tridentino præſcripta ſunt, particulariter ſeruata, & circa Doctrinam Chriſtianam ipſos accurate examinet.

*Poſtea interroget,*

QVOT ordines minores habeant.
A quo collati eis fuerint. oſtendant litteras.
An Clerici omnes in minoribus conſtituti tonſuram ferant.
An pauperes ſaltem birretum Clericale, & interulam non in rugas ad collum deductam geſtent.
An celebranti ſemper aſſiſtant.
An, dum Diuina Officia celebrantur, vagentur per Ciuitatem.
An bene reſpondere, ac deſeruire celebranti ſciant.
An, antequam finitum ſit vltimum Euangelium, candelas, aut aliquid aliud ex Altari tollant.
A quo eligantur, & approbentur.
An bene inſtructi ſint in his, quæ ipſis incumbunt.
An ſciant Doctrinam Chriſtianam.
An Grammaticam ſtudioſe diſcant.
An Muſicæ dent operam.

An Ec-

An Eccleſiaſticam diſciplinam, & bonos mores tenere ſtudeant.
An ſuperioribus ſint obedientes.
An immorigerati, rixoſi interſe, & loquaces ſint.
An in omnibus ſe modeſtos præbeant ſine ſcandalo.
An veſtes ſordidas, & conciſas habeant.
An habeant redditus in Eccleſia ſibi tributos, diſtinctos ab alijs, & quomodo diuidant inter ſe.
Quæ onera habeant, & an eis ſatisfaciant.
Deſcribantur nomina eorum, & numerus.
An habitent ſimul, & dormiant ſoli.
An bonorum conuerſationem ſectentur, ac malorum fugiant.
An gaudeãt immunitatibus, quibus perfruuntur Eccleſijs ſeruiẽtes.
An adſint Clerici coniugati, & inſeruiant.
An ij cum habitu incedant, An bigami. Non gaudeant priuilegijs.
An confiteantur ſingulis hebdomadis, vel menſibus ſaltem.
An etiam qui ſunt ætatis legitimæ frequenter communicent.

---

## *Decretorum Viſitationis Generalis, & Decretorum Generalium publicatio. Cap. LXXI.*

PERACTA Cathedralis Eccleſiæ, & Cappellarum Viſitatione, antequam ad viſitationem perſonalem omnium Dignitatum, Officialium, Canonicorum, Presbyterorum, & quorumcumque Clericorum ipſius Eccleſiæ deueniat; in dicta die feſtiua, ſi fieri poterit, per edictum, quòd omnes in Eccleſia conueniãt in Miſſa conuentuali, ad audiendum decreta in Viſitatione deſcripta, ac tunc perferenda, & publicanda, præſente Epiſcopo, ſeu Viſitatore in Choro, in loco ſuo ſedente, intra Miſſarum ſollemnia, poſt Offertorium, vel Miſſa finita, Notarius Viſitationũ ex ſuggeſtu publicabit omnia Decreta lata, quæ ſignari in margine debent cum D. ad hoc vt facili negotio inueniri poſſint; & ſola Decreta legantur, & ab omnibus audiantur, & exequantur. Quibus lectis, & publicatis, deinde infraſcripta Decreta generalia ſimiliter ex ſuggeſtu publicari mandabit, vt, quæ forſitan defuere in Viſitatione, cum infraſcriptis compleantur, & magis memoriter ſeruentur. Aliaq. forma Viſitator vti poterit, pro vt melius videbitur.

Decreta

## *Decreta Generalia in prædicta Generali Viſitatione Cathedralis Eccleſiæ prolata per N. Cap. LXXII.*

NOS N. dictam Eccleſiam, & Diœceſim viſitan.

*In Viſitatione Sanctiſſimæ Eucharistiæ.*

IN primis, præter alia Decreta, & mandata facta, & in progreſſu Viſitationis prolata, mandatur ſemper ſub pœnis arbitrarijs; vbi ſpecialiter pœna non fuerit appoſita in omnibus decretis præcedentibus, & ſequentibus, ſemper intelligatur appoſita.

Quolibet octauo die Archipresbyter curabit Sanctiſsimum Sacramentum renouari, & fragmenta ſuper corporale, ne pereant.

Semper cum ſuperpellicio, & ſtola, ac luminibus, genuflexionibus, & oratione, & publica, & generali confeſsione, & abſolutione, ac ſermone per prædictum Archipresbyterum habito, & præmiſsis omnibus, Sacramentum miniſtretur.

Vas, ſeu mappa ſub mento communicandi in eius adminiſtratione ſupponatur: & ſaltem vnus miniſter cum cotta aſsiſtat.

Ad oris ablutionem, vas diuerſum à calice vtatur, ac ſudariolum ad os tergendum præ manibus habeat.

Fœminę à Maribus diuiſę ſint, quãtũ fieri poteſt, in cõmunione p̃dicta.

Nemo communicetur, niſi prius teſſeram, ſeu cedulam abſolutionis dederit, & poſtea ſigillum accipiat, ſi tamen ita videbitur Viſitatori.

Noui in communione recipienda ab Archipresbytero, & alijs miniſtris inſtruantur.

Tollatur quælibet ſuperſtitio in tali adminiſtratione: & communicantes tempore Paſchatis, ciues ab externis ſeparate ſcribantur.

Caueant, ne inconfeſsis, exteris, & ignotis illud miniſtrent, nec publicis peccatoribus, excommunicatis, armatis, & huiuſmodi.

*Quando defertur ad Infirmos.*

CVM ad Infirmos defertur, ſeruentur Conſtitutiones Synodales, & Archipresbyter, & alij miniſtri moneant populum, vt, cum non ſint grauiſsime occupati, aſſocient dictum Sanctiſsimum Sacramentum; &, qui in domo ſunt, cum campanulam audiant, genibus flexis, & mente ſaltem adorent.

Illud deferentes, ſemper oculos intentos ad ipſum habeant, nec vnquam ſine pluuiali, vmbella, & luminaribus, ac campanula.

Cum ad domum Infirmi peruenerint, faciant ingreſſum, cum *Pax huic domui*: hortationem, confeſsionem, & adorationem præmittant: & pannus ante pectus Infirmi ponatur; ac caueant de fragmentis.

Infirmos moneant, vt ſe in gratia Dei conſeruent, & de ante commiſsis doleant; ac ſtantes moneant, vt pro Infirmo orent.

Ad Eccleſiam reuerſi, recitando Hymnos, & Pſalmos antequam ipſum Sanctiſsimũ Sacramentũ reponatur, cum ipſo populũ benedicant, & Indulgentias Apoſtolicas publicent, & noſtras quadraginta dierum.

Poſtea manus lauẽt in Sacrario, ad hoc prope Altare maius ꝑparato.

Hoc fiet poſtea à Sacerdotibus Congregationis pro auxilio agonizantium, vt charitatis officium, ipſis à nobis commiſſum, erga Infirmũ exerceant, & vſque ad extremum vitæ adiuuent.

### *Delatio in Proceſſione.*

SEMPER in Proceſsione ſollemniter cum Pluuiali, Velo, Baldachino, Luminaribus, Turibulis fumigantibus, & Tabernaculo oſtẽſorio argenteo, & decenti deferatur.

Omnes Presbyteri, cũ Pluuialibus, & Planetis, & Diaconi, & Subdiaconi, dalmaticis, & tunicellis ornati, in Proceſsionibus incedant, ſi ornamenta adſint.

Mandatur, vt Proceſsiones Generales prædicti Sanctiſsimi Sacramenti fiant per vias ſolitas, deſtinatas, & decentes, per ipſum Reuerendiſsimum Epiſcopum ordinatas, tam in die Sollemnitatis, quàm in Die Dominicæ, infra octauam, quàm in octaua eiuſdem Sollemnitatis; & viæ mundentur, & ornentur; prout fieri poteſt, cum pœna arbitraria; & omnes officinæ claudantur.

### *In Viſitatione Fontis Baptiſmalis.*

PRAETER Decreta in Viſitatione ipſius lata, mandatur D. N. Archipresbytero, vt ipſe tamquam Parochus hoc Sacramentum conferat, & vigilet, ne Olea ſacra, & Sal benedictum in medicina detur, nec aliquid profanum applicetur.

Caueant omnes, ne aliquid in collatione Sacramenti exigant, & accipiant, præter illud, quod laudabili cõſuetudine, à ſponte dantibus in ducta offertur; & ipſius collatio ſemper in Fonte in Eccleſia fiat, neceſsitate excepta.

Miniſtri huius Sacramenti prius inquirant, ſi infantes fuerunt baptizati domi, & quomodo, ne Baptiſmus reiteretur.

Archipresby-

Archipresbyter attendat; vt obſtetrices examinentur, ſi ſciunt recte formam Baptiſmi, in caſu neceſsitatis; &, ſi neſciant, doceant patria lingua.

Archipresbyter præfatus ſingulis menſibus populum moneat in Eccleſia inter Miſſarum ſollemnia, ne obſtetrices mulieres pueros baptizent in caſu neceſſitatis; quando adeſt commoditas virorum digniorum, qui hoc facere poſſint.

Procurent Baptizantes, vt compatres ſint de voluntate parentum, & ætatis conuenientis.

Archipresbyter, & alij Baptizantes non admittant ad hoc regulares, erud menta fidei neſcientes, excommunicatos non confeſſos tempore Paſchatis, publicos peccatores, & ſimiles.

Iuxta Sacroſancti Concilij Tridentini decreta, Parochus in Eccleſia moneat frequenter, Compaternitatem non contrahi, niſi in Fonte, & in Confirmatione, reiectis alijs abuſibus lotionum, & tactus, & ſimilibus.

Inſuper Compatres, admoneant de officio, & onere ipſorum, & quæ tenentur facere ſuſceptis. ſic etiam de cognatione ſpirituali contracta, & eius impedimentis.

Mandatur prætere a Archipresbytero, tamquam Parocho, vt aliquando cærimonias populo declaret, iuxta formam à Catechiſmo Romano præſcriptam.

Item, ne parentes per annum infantes in lecto teneant, ſed in cunis; item, vt puerperæ benedictionem ſuſcipiant in Eccleſia.

### *In Viſitatione Sacrorum Oleorum.*

PRAETER ea, quæ in Viſitatione ſcripta ſunt, mandatur Sacriſtis, hoc Sacramentum miniſtrantibus, vt diligenter, & prompte, etiam in nocte miniſtrent, iuxta Rituale Eccleſiæ.

Quando vnget, dicat etiam verba vngens, & ſocij aſſiſtentes Amen reſpondeant.

Bombyx, & Vas, quibus vngitur, in Sacrario vratur, vel proijciatur.

Mandatur Archipresbytero, & Parocho, vt cærimonias, & vim huius Sacramenti populo declaret; vt ſciant omnes, quid ægrotantibus proſit.

Moneatur Archipresbyter, & Confeſſores, & denique omnes Sacerdotes Religioſi in viſceribus Ieſu Chriſti, vt agonizantibus aſſiſtāt, eos hortentur ad bene, ſanctéq moriendum, quantum fieri poteſt, iuxtà Ordinationes per nos circa hoc factas.

*Altare*

*Altare Maius.*

MANDATVR Sacriſtis, vt ſæpe Altare prædictum, & tabernaculum à puluere excutiatur.

Nec candelas ſuper Altare accendant, ſed extra, niſi cum paruula candela, ne cera decurrens mappas maculet.

Sudariolum pro abſtergendis manibus Sacerdotis album ex lino in Cornu Epiſtolæ ipſius Altaris dependeat, & ſæpe mutetur.

*Icona Altaris maioris, cum Reliquijs.*

MANDATVR Reuerendis Archidiacono, Archipresbytero, & Cantori, Conſeruatoribus Reliquiarum, ac Sacriſtis, vt Tabernaculrm, & Portæ, ſaltem ſingulis menſibus, puluere excutiantur, nitide conſeruentur; contrafacientes pœnis ordinarijs puniantur, tam Sacriſtæ contrafacientes, quàm prædicti Conſeruatores id non curantes.

Item, ne Portæ prædictæ aperiantur, & prædictæ Reliquiæ demonſtrentur abſque licentia Reuerendiſſimi D. Epiſcopi; & ſit, qui ipſas demonſtrat, cum ſuperpellicio, & ſtola, & luminaribus accenſis, niſi quando aperiuntur in feſtis ſollemnibus, in quibus diebus officijs peractis claudantur.

Luminaria diu, noctuq. accenſa ibidem permaneant, prout ſemper ardent tres lampades.

Mandetur, vt, quando oſtenduntur tam Reliquiæ prædictæ, quàm etiam aliæ intus Sacriſtiam exiſtentes, à Clero cantentur Hymni conuenientes Reliquijs, & venerentur ab omnibus.

Caueant, ne à ſæcularibus tangantur, nec oſculentur, niſi vaſa, vbi conſeruantur, ſeu earum thecæ.

Nec aliquid earum cuiquam dent, vel accommodent abſque noſtra licentia, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

Denique monentur omnes prædicti, vt fideliter, & deuote ſe gerant in prædictis conſeruandis, & cuſtodiendis.

*Viſitatio Cathedralis Eccleſiæ in eius corpore.*

MANDATVR Sacriſtis præſentibus, & futuris, vt ſemel in hebdomada mundam in pauimento, parietibus, & Cappellis, & Altaribus hanc Eccleſiam conſeruent, ſub pœna, &c.

Iuxta tenorem noſtrarum Conſtitutionum, quando Officia Diuina non celebrantur, ſemper clauſam Eccleſiam cuſtodiant.

In diebus ſollemnibus, & feſtiuitatibus Sancti Richardi, & tituli Eccleſiæ, non ſolum mundam in omnibus habeant, ſed etiam pannis, ornamentis, & ramis viridibus, vt moris eſt, ornent.

Cappellæ ipſius Eccleſiæ poſt Miſſarũ celebrationẽ ſera claudatur.

Vnus ex Sacriſtis, donec Eccleſia aperta manet, & Officia Diuina celebrantur, ipſius Eccleſiæ curam habeat.

Nil vendatur in Eccleſia, & in cœmeterio, etiam ſi fuiſſent candelæ, & vota, ſed extra Eccleſiam.

Non fiant in ipſa deambulationes, colloquia, congreſſus, nocturnæ vigiliæ, & ſimilia; nec fores ipſius de nocte apertæ maneant.

Nemo Altaribus, & Fontibus adhæreat, nec in Eccleſia comedat, & bibat, nec dormiat irreuerenter.

Mendici, & quæſtuantes ab ipſa eijciantur, & ante fores eleemoſynam petant.

Ne fiant in Eccleſia tranſitus cũ oneribus, ſtipulationes, contractus, conſilia, congregationes laicorũ, nec accipitres, nec ſclopettas portẽt.

Ligna, cæmenta, ſaxa, & quælibet alia ad Eccleſiæ viuum non neceſſaria in Eccleſia non ſint.

Nec cadauera ab vna Eccleſia ad aliam transferantur ſine licentia Epiſcopi.

Ludentes, mærentes, rixantes, circulatores, venditores, & ſimilia indecentia facientes ab Eccleſia prohibeantur, & contrafacientes excommunicentur.

*In Viſitatione Sacriſtiæ.*

MANDATVR Sacriſtis, ſub pœnis arbitrarijs, vt hanc Sacriſtiam, & eius ſupellectilem in omnibus mundam, & ornatam conſeruent.

Caueant, ne Laici ibi verſentur, nec ibidem colloquia, rixæ, & tumultus fiant, nec à Laicis, nec à Clericis, ſed in ſilentio, & deuote ibi verſentur; &, ſi Sacriſtæ contrafacientes non denunciauerint, & curiæ non notificauerint, ipſi in pœnam incidant.

Ornamenta Eccęſiæ diligenter cuſtodiant, & ſeruent, ne ſciſſa miniſtris tribuant; ſed, ſi ſint ita, à Reuerendo Archidiacono petant reſarciri, aliàs ipſi punientur.

Caueãt Sacriſtæ, & alij, ne Pallijs & alijs veſtimentis Eccleſiaſticis, & ornamentis ſedium, & ſimilium ab utantur, ad eorum, vel aliorum vſum, tam de nocte, quam de die.

Paramenta linea, corporalia, purificatoria, & ſimilia nitida conſeruentur.

Fragmentà paramentorum veterum ſeorſum ab alijs cõſeruentur.

Calices,

Calices, cruces, turibula, & alia vaſa argentea munda, & decentia conſeruent.

Sacriſtæ omnia ſupellectilia Sacriſtiæ per inuentarium recipiant, conſeruent, & ſic ſucceſſori reſtituant, ſi opus fuerit cum cautione.

Diuinis Officijs de mane peractis, Sacriſtæ omnes cappellas huius Eccleſiæ claui claudant, & curent, vt altaria ſemper ornata permaneant, alias &c.

Non diſcedat de Sacriſtia ad minus vnus de die, & duo de nocte, ſed ſemper aſſiſtant pro collatione Sacramentorum, maxime Baptiſmi, Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis: &, ſi abſque Sacriſtis Eccleſia reperta fuerit, puniantur: & circa hoc Sacriſta maior vigilet. quod ſi negligens fuerit, ipſe iam puniatur: vbi Sacriſtæ habent curam.

Maior Sacriſta in omnibus, poſt Archidiaconum præſit in Sacriſtia; &, quando Diuina celebrantur, ipſe ibidem præſit alijs Sacriſtis, & alijs Sacerdotibus in Miſſis diſpenſandis; & præcipiat, vt vnus curam habeat Miſſarum celebrandarum, videlicet aperiendi, & claudendi cappellas, luminaria accendendi, & eorum, quæ ad Miſſarum celebrationem faciunt; & alius in Choro præſit, & in Eccleſia eorum, quæ ad eius officium pertinent, & curam habeat Altaris maioris, lampadum, & ſimilium, & prout Archidiaconus, vel Sacriſta maior, officia alijs duobus Sacriſtis diuidet facienda.

Quolibet mane, qui deficit ab obligationibus Miſſarum, Anniuerſariorum, & aliarum rerum in Tabellis exiſtentium, Sacriſta ad Epiſcopum, vel eius Vicarium deferat in ſcriptis, ſub pœna arbitraria, vel ſaltem in fine hebdomadæ.

Sollemnibus, & Dominicis diebus exceptis, in quibus omnes Sacerdotes celebrare tenentur, in alijs diebus nō permittant exire à Sacriſtia Sacerdotem celebraturum, niſi poſt eleuationem alterius, qui celebrat: & hæc ſeruentur in Miſſis, quæ ex debito celebrantur.

Sacerdos, qui Miſſam matutinalem celebrabit, curent Sacriſtæ, vt, quando ſecunda campana Matutini pulſatur, illico exeat ad celebrandum; & qui contrafecerit, & Sacriſtæ non notificantes Epiſcopo, vel Vicario ipſius, etiam puniantur.

Mandatur Reuerendo Archidiacono, vt ſub pœna ſuſpenſionis ab officio ſemel in menſe videre & reuidere habeat paramenta, & ſupellectilia Sacriſtiæ, &, quæ refici, & reſarciri, & accōmodari, & reformari debeant, fiant; &, quæ mundari, ablui, & conſeruari nitide debeant, conſeruentur à Sacriſtis; & quod ſingulis annis, quando ſupellectilia Sacriſtiæ Sacriſtis conſignātur, conſignentur cū inuentario, cū receptione in calce, ac in fine; quando ſucceſſoribus conſignantur à prædeceſſoribus, dent rationem omnium, & quarumcunque rerum

Eccleſiæ etiam parui valoris; &, ſi ſunt conſumptæ, oſtendant Reliquias, ſeu fragmenta ipſarum; alias, ſi in hoc Archidiaconus negligens fuerit, vltra prædictam pœnam, incidat in pœnam priuationis portionis cõmunis maſſæ pro illo anno, & alias pœnas arbitrarias, &c.

Multa alia decreta generalia fieri poterũt pro neceſſitate Diœceſis. Et Eccleſiæ, & maximè circa vitam, & mores Clericorum.

*Ita pronuncianus, & declaramus nos N.*

N. Not.

---

## *Inſtrumentum publicationis Decretorum.* *Cap. LXXIII.*

DIE 28. Menſis Iulij 1585. in Cathedrali Eccleſia Andrien. intus Chorum ipſius, inter Miſſarum ſollemnia Clero ibidem congregato, & ipſo Reuerendiſſimo D. Epiſcopo pro tribunali ſedente in eius Sede Pontificali, in Choro, aſſiſtentibus ipſi Reuerendo Archidiacono, & Archipresbytero, omnia decreta ſignata cum D. & etiam hæc vltima generalia fuerunt per me N. ordinarium Notarium, & actuarium ipſius Curiæ Viſitationis publicata de verbo ad verbum, vt iacent, alta, & intelligibili voce, præſentibus omnibus collegis, & coaſſumptis in Viſitatione prædicta videlicet Cathedralis Eccleſiæ, ibidem aſſiſtentibus, præſente Reuerendo Capitulo, & Clero ibidem congregato. Præſentibus pro teſtibus Reuerendo N. N. N. & alijs. Et in fidem ego idem N. me ſubſcripſi, & ſignum meum appoſui.

Idem qui ſupra N. manu propria. Locus ſigni.

---

## *Viſitatio perſonarum. Cap. LXXIV.*

SI autem Epiſcopus perſonaliter quemlibet viſitare volet, ipſe ſolus cum Notario, vel præſente aliquo alio, prout ſibi videbitur expedire, (nam id totum eius prudentiæ integrum relinquitur) in cubiculo ſuo, ſeorſum, remotis omnibus alijs, poterit

rit quemlibet viſitare, ac examinare, ſingulis prædicta interrogatoria proponendo, iuxta eorum officium, & ordinem; quibus etiam & infraſcripta addere poterit, quæ hoc modo deſcribenda per Notarium curabit, nec deferat cuique iuramentum.

---

## *Archidiaconi perſonalis viſitatio. Cap. LXXV.*

Die N. Menſis N. M. D. LXXXVI. in Epiſcopali Palatio N. &c.

COMPARET coram Reuerendiſsimo D. N. Epiſcopo N. R. D. N. Archidiaconus Eccleſiæ N. Viſitandus. Primo interrogatus, an ſit prima dignitas in illa Eccleſia poſt Epiſcopalem, & an habeat litteras collationis, ſi habet, & oſtendit, Notarius ſcribat, Oſtendit Bullam plumbeam expeditam Romæ primo Ianuarij 1579. à Gregorio XIII. & dixit ſe eſſe in prima dignitate conſtitutum poſt Epiſcopalem in illa Eccleſia.

Quod ſi dictam Bullam bene expeditam inueniat, nec ſubreptitiã, approbet; ſin minus, prohibeat, prout iuris fuerit; & omnia in actis Viſitationis adnotabit.

Interrogatus poſtea, quot redditus, & quæ onera habeat annexa, præſentauit infraſcriptum Inuentarium.

Quod ſicuti præſentauit ſic legat primo, deinde alliget Libro Viſitationis bene, ac fideliter ad verbum deſcriptum; videatque, quòd ibi annotentur noui fines, cum omnibus redditibus, honoribus, & oneribus, quæ ipſi incumbunt.

Interrogatus, an habeat litteras Ordinationis, ſi habet, & exhibeat, ſcribatur in Actis, Oſtendit; ſi non habet, in eiſdem actis ſcribatur, Nõ oſtendit. & poſtea mandet, vt infra terminum certum oſtendat, vel doceat ſaltem per teſtes, ſe ad Eccleſiaſticos ordines Canonice fuiſſe promotum; alias ſit ſuſpenſus ab ordine, donec Canonice docuerit de huiuſmodi litteris, quæ ſic declaret.

Item, an habeat alia beneficia, & quæ, & quot ſint, & an ſint incompatibilia, vel plura ſub eodem tecto habuerit. prouideat, prout iuris;

ris; & aduertat, quod ſimiles perſonæ non faciunt fructus ſuos.

Si eſt Sacerdos, ipſum interroget; prout ſupra in cap. 69.

Si eſt Diaconus; prout in verbo Diaconi cap. 66.

Poſtea perquirat, an bene legat; An litteras Latinas calleat, ſi non eſt Doctor.

An incedat in habitu, & tonſura, & ſcribat, ſi eſt conueniens.

An frequenter celebret.

An habeat veſtes ſacras: ſi Viſitatori videbitur.

An Miſſale, Breuiarium, & libros, quos ſupra notauimus, & alios maiores, & ad eius officium pertinentes, & à Synodo Diœceſana decretos apud ſe habeat.

Poſtea interroget, & viſitet ipſum ſuper ſui officij functione particulariter; vt habetur in Decret. per totum tit. de off. Archidiac.

Nec non, & de alijs, quæ ad ipſum pertinent, ea conſuetudine Eccleſiarum, quæ aliqua in parte, nonnunquam ſint diuerſæ ab ijs, quæ ibi continentur. & ideo non curamus interrogatoria particularia deſcribere.

## Circa Clericos.

*Interroget eum poſtea eo qui ſequitur ordine, in ijs, quæ ad Clericos pertinent; & eius reſponſionem ad ſingula Interrogata apponat.*

AN ſciat Interrogatus, qui ſunt Clerici Concubinarij. Dixit, ſe neſcire; vel dixit N. N. & N.

An ſciat, qui ſunt Clerici filios habētes. & ſcribat, prout reſpōderit.

An ſciat, qui ſunt Simoniaci.

An ſciat, qui ſunt Aleatores.

An ſciat, ſi qui ſunt ſcandaloſæ vitæ.

An ſciat, qui ſunt deſides, & negligentes in Eccleſia.

An ſciat, ſi qui ſint incorrigibiles.

An ſciat, ſi qui ſint Laicis ſeruientes.

An ſciat aliquos, qui ſe ſæcularibus negotijs immiſceant.

An ſint, qui quæſtori, ac negotijs illicitis dent operam.

## *Circa Laicos vero interroget.*

AN ſint ſuſpecti in fide.

An ſint ſortilegi, faſcinatores, cantionibus, magicisve artibus addicti.

An ſint publici concubinarij.

An

An ſint publici fœneratores, & vſurarij.

An ſint publici Blaſphematores.

An ijs ſimiles perſonæ in ea ciuitate peccata publica committentes reperiantur.

Et ſic de ſingulis; prout ipſe Viſitator iudicauerit expedire. & hunc modum viſitando obſeruet in omnibus alijs officialibus poſt interrogationes factas, in ijs, quæ pertinent ad functiones ſuorum officiorum, dignitatum. Idemque in Clericis viſitandis præſtandũ erit.

Quod ſi forte Procurator Fiſcalis exhibuerit proceſſus, & informationes, & querelas poſt Viſitationem prædictam, ſcribatur tantum inſtantia Fiſcalis, qui ſcilicet præſentauit tot proceſſus, &c. & poſtea aut ipſe Viſitator, aut eius Vicarius, iuris ordine ſeruato, procedat contra ipſum, prout ſacri Canones, & Conſtitutiones Synodales mandauerint; vt latius infra in ſecunda parte dicetur. Et eandem met formam ſeruet in omnibus alijs interrogandis, & viſitandis, de quibus infra, ſiue ſint officiales, ſiue Canonici, presbyterive, aut quiuis alij. ſeruetur forma Conc. Trid.

## *Archipresbyteri, ſeu Parochi perſonalis viſitatio. Cap. LXXVI.*

POST viſitationem Archidiaconi, ſequitur viſitatio Archipresbyteri, vel Decani, ſiue Parochi, vel illius, qui ſecundam dignitatem in illa Eccleſia Cathedrali, vel primam in Collegiatis, vel Parochialibus extra Cathedralem obtinebit, quem viſitabit eo ordine, quo ſupra dictum eſt de Archidiacono, exceptis, quæ ad officium, munusve Archipresbyteri ſpectant; & ſciat, quòd Archipresbyter, vel Parochus, ſi curam animarum habet, debet primo ſcire ea omnia, quæ, vt Sacerdos, ſcire tenetur; prout in viſitatione Cappellani, & Sacerdotis celebrantis ſupra dictum eſt. de quibus ipſum interroget, & præterea, ſi cura animarum ſibi iniuncta fuerit, debet ſcire infraſcripta, ſuper quibus erit diligenter interrogandus, & examinandus per Viſitatorem. & hæc eadem viſitatio debet fieri etiam Parochis, Archipresbyteris, & curatis omnibus in Ciuitate, & Diœceſi exiſtentibus. & de prædictis interrogare debet ſingulos poſt viſitationem eorundem perſonalem; &, poſtquam omnia ab ipſo circa Clericos, & circa Laicos perquiſie-

rit, vt ſupra in Viſitatione dictum eſt modo infraſcripto.

Primo, mandet Notario, vt illius, quem viſitat, nomen, cognomem, patriam, ætatem, gradus, ordines, tonſuram, habitum, & profeſſionem fidei ſcribat in libro Viſitationis; ſi iam non fuerint ſcripta.

Quod ſi non conſtet de fidei profeſſione, mandet, vt ipſam coram Viſitatore emittat; atque id ipſum etiam obſeruet in omnibus dignitatibus, officialibus, & Canonicis, qui omnes profeſſionem fidei emittere tenentur, iuxta Sacroſancti Conc. Trid. decreta.

a Seſſ. 24. cap. 12. de refor.

Poſtea videat titulum, fundationem, & omnia iura Eccleſiæ, & quos redditus habeat Parochus, & quæ bona, de quibus exhibeat Inuentarium, & in libro Viſitationis colligat.

Interroget poſtea, an ſciat, aliquid de bonis Eccleſiæ à quopiam occupari.

Et exprimat quæ pacifice ex eiſdem bonis poſſideret.

Poſtea eum interroget, eo, qui ſequitur, ordine, ac modo.

An lites habeat pro ſe, vel pro alio, & quas.

An habeat penſiones, vel patrimonium.

An redditus alios, præterquam ſuæ Eccleſiæ.

An alia beneficia teneat, & quo titulo.

An ſoluat penſiones, quas, & quomodo, & cui.

An aliquid pro ſacris ordinibus ſuſcipiendis ſoluerit.

An aliquid pro conſequendo beneficio Eccleſiaſtico.

Exhibeat probationem ad audiendas confeſſiones.

Si non eſt approbatus, & Eccleſiæ fructus ſuppetunt, dandus eſt ei Coadiutor, iuxta decreta Sacroſancti Conc. Trid.[b]

b Seſſ. 21. c. 6. de reform.

An iuxta Eccleſiam habitet, & an in domo Eccleſiæ.

An habitet ibi die, & nocte, an ſaltem in Parochia. Domi quos ſecum habeat viros, an mulieres, & an ſuſpectos.

An habeat adiutorem ad certum tempus amouibilem, & perpetuũ.

An Clericum vnum, vel plures cum veſtibus talaribus, ſuperpellicijſque.

An Clerici ſciant bene reſpondere, & an dicant in Miſſa, Suſcipiat.

An habeat Cappellanos, quot, & quales.

An conductos mercede, an in Eccleſia beneficiatos.

An aliquod onus dictis Cappellanis incumbat, & an ſatisfaciant.

Vocentur, & interrogentur, vt ſupra in verbo Cappellani, vel infra in verbo Capitulum, & in verbo Sacerdotes.

An omnibus diebus feſtis in ſua Eccleſia celebret.

An hora competenti, & populo commoda.

An præ-

An præter dies feſtos frequenter etiam celebret.
An ſaltem tribus diebus in hebdomada
Quot in hebdomada Miſſas ſit obligatus dicere.
Quot in ſua Eccleſia celebrari ſoleant.
An Miſſæ celebrentur ſimul in Altaribus oppoſitis.
An in Parochia ſint oratoria, in quibus celebretur, & qualia.
An in Parochia pro mortuis celebret ſemel in hebdomada.
An ſic ibi abuſus vigeat, vt viduæ, vel aliæ non videant Miſſam. Moneat, vt veniant.
An illos, qui abſque debita reuerentia rei ſacræ interſunt, moneat.
In diebus feſtiuitatum ſuæ Parochiæ, quot Miſſas celebrari faciat, & an tum commeſſationes fiant, & quomodo.
Vbi plures Miſſæ celebrantur, an cum interuallo temporis vna poſt aliam.
An etiam in Altaribus ita diſpoſitis, vt celebrantes ſe inuicem non impediant.
An celebrent ante, vel poſt meridiem.
An in dominicis, & maioribus feſtis Miſſam, ac veſperas cantet.
An rem ſacram facturus ad Altare moretur alicuius expectandi gratia.
An, Miſſa inchoata, ſubſiſtat, & ab initio repetat.
An Miſſis celebrandis adhibeantur candelæ ex cera alba, vel flaua; quot, & cuius exiguitatis, magnitudinis ve, in ferijs, & feſtis diebus.
Quæ Miſſæ ſoleant celebrari, cum præfixo [a] num. Candelarum. Vbi ad hoc aduertitur,

[a] Conc. Trid. ſeſſ. 22 decr. de obſer. & euitan. in celebr. miſſ.

An in altari extinguantur non finito Euangelio vltimo.
An, dum eleuatur Hoſtia, pulſetur campana, vt, qui in Eccleſia non ſunt, cum ſignum audiunt, ſaltem genibus flexis, & capite detecto, mente adorent.
An eleemoſynas expectet, alias non celebraturus.
An paruas pro Miſſis oblatas eleemoſynas dedignetur.
An in Miſſa ſoleat intermiſcere alias orationes, præter in Miſſali deſcriptas; puta, Nunc dimittis, De profundis, O ſacrum conuiuium, & ſimilia.
An habeat Miſſale, & Breuiarium nouum.
An rubricas obſeruet, & experiatur.
An cærimonias deuoto, & decenti geſtu exprimat.
An in Dominicis diebus confeſſionem generalem cum populo faciat.
An ad populum ſermonem habeat lingua patria.
An quæſtores eleemoſynarios in Eccleſia admittat.

An huiuſmodi quæſtores ſint in Parochia ſua ſine licentia.
An in Miſſis quæſtus eleemoſinarij fiant.
An populo denuntiet feſta, & dies Ieiuniorum.
An moneat, quomodo ieiunandum in Quadrageſima.
An rudes, & pueros Chriſtianam Doctrinam doceat.
An populum verbo, & exemplo paſcat.
An declaret Euangelium, ſacramenta, & cærimonias.
An doceat, quomodo inuocandi ſunt ſancti; quæ veneratio eiſdem, qualis honor ſit adhibēdus, tum imaginibus, & Reliquijs eorum, iuxta Conc. Trid. decreta. [a]

a Seſs. 25. de inuoc. & vener. & reliq. Sanct.

An, quando Sanctiſſimus mandat publicari Indulgentias, moneat populum, quid agendum pro illis conſequendis, & quomodo.
An item moneat, quid agere debeat, qui Stationum Indulgentias aſſequi cupit; & an moneat de contritione, & confeſſione præmittenda, & de vi ipſius; & quæ vitanda in illis; item, ne noctu vadant, maxime mulieres.
Quòd ſi ad hæc facienda non eſt idoneus, & fructus Eccleſiæ ſufficiunt, alius pro eo ad hæc ipſa introducatur Coadiutor. [b]

b Conc. Trid. ſeſs. 21. c. 6. de reform.

Quo modo agat in officijs maioris hebdomadæ.
An diſtribuat palmas, & candelas ſuis diebus.
An moneat ſubditos, ne permittant famulos diebus feſtis rem ſacram, ſiue Miſſam prætermittere, ſed eos pie illi intereſſe, ac audire ſtudeant.
An etiam moneat ipſos, vt eiſdem diebus ad Parochiam veniant.
An publicet Indulgentias ſine licentia.
An cum clauſula Manus adiutrices.
Cauendum, ne publicentur miracula ficta pro oblationibus.
An aliquem permittat in Eccleſia ſua celebrare, aut confeſſiones audire, qui licentiam non habeat ab Ordinario.
An benedictionem faciat, cum ad menſam manducaturus accedit.
An gradum ſuum ſeruet apud omnes, & vbique.
An aſſiduus in Parochia maneat.
An vmquam ſine licentia Ordinarij abfuerit, & quam diu.
An confeſſionum, aut alterius neceſsitatis Eccleſiaſticæ tempore abfuerit.
An, quando diſceſſurus eſt à Parochia, diligenter perquirat, ſi quis in ea ſit infirmus, ſi quæ parturientes, quæ Sacramentis egeant.
An ſit ſeruitio alicuius addictus, aut aliena negotia gerat.
An aliquam mechanicam artem exerceat.
An Muſicam, aut aliud quidquam mulieres doceat.
An ſcholam puerorum in Eccleſia habeat, aut alibi.

An, cum

An, cum vacuus eſt, ſe ſe ſtudijs occupet.

Quos libros habeat, quos legere ſoleat.

An habeat librum Rituum, an alios Parochiales, & quos.

An Canones ſciat pænitentiales.

An ad lectionem caſuum conſcientiæ eat.

An habeat libellum Caſuum reſeruatorum.

An item Bullam in Cœna Domini.

An ſciat, quæ ex Concilio publicare debeant.

An ſciat declarare omnia prædicta, & patria lingua.

An ſit de ſocietate Clericorum, & an conueniat cum illis in diebus feſtis, & alijs conſtitutis.

An aſsiduus ſit in confeſsionibus audiendis omni tempore.

An in priuatis ædibus Confeſsiones audiat, maxime mulierum. Caueat, neceſsitate excepta.

An etiam noctu cuiuſquam Confeſsionem audiat, præterquam infirmorum. Similiter abſtineat.

An ſubditis det licentiam confitendi in Paſcha alibi, quàm in Parochia.

An tempore Confeſsionis, & Communionis, aliquid dari ſoleat, perquirat, ac ſe certiorem fieri curet.

An viſitet Infirmos, & eos, vt confiteantur, & an non vocatus accedat.

An ſciat, Medicos ſeruare decretum [a] ſuper Infirmos.

An moneat grauidas, vt confiteantur.

An rationem habeat venientium, & recedentium.

An tempore Paſchæ requirat in hoſpitijs forenſes, & aduenas.

An circa mendicantes, & an circa ſubditos ſit accuratus.

An, cum peregrinantes in patriam redeunt, moneat, vt ſatisfaciant Præcepto Eccleſiæ. [b]

An moneat, ne ad ultimos Quadrageſimæ dies Confeſsionem prorogent.

An tempore Paſchæ communicantes dent ſchedulam, & eos deſcribat.

An etiam ſeparatim deſcribat, ac notet non communicantes eo tempore.

An non communicantes, & non confeſſos poſt Paſcha denunciet Ordinario ſuo.

An baptizatorum, & morientium, librum conficiat.

An ſciat, qui confirmati ſint, an non.

An, vt baptizatorum, ſic etiam confirmatorum, librum habeat. Oſtendat.

[a] c. cum infirmitas, de pænit. & remiſs.

[b] c. omnis vtriuſque ſexus, de pæn. & remiſs.

An libros annorum ſuperiorum conſeruet.

An horum exemplum, ſiue copiam det Vicario, in publico Archiuio recondendam.

An curet, vt Confirmationem omnes accipiant.

Placeret, Parochos, cum ſit Confirmatio, accedere, & intereſſe, ac ſuos quenque ſcribere.

An moneat, vt faſciam cum goſſipio, ſiue bombyce vnctam ad Eccleſiam referant, vt in ſacrario exuſta proijciatur.

An moneat, quod leuando faſciam, aut alias res faciendo, nulla contrahitur cognatio ſpecialis, ſed tantum per manutentionem.

An doceat, quæ cognatio contrahitur per Confirmationem & Baptiſmum.

An moneat ſubditos de præparatione adultorum, & confeſſione permittenda ante Confirmationem.

An, vt diligentiam adhibeant, ne reiteretur Sacramentum.

An moneat de onere Compatrum, & de off. & impedimẽto ipſorũ.

An doceat, qui ſe ingerere ad ſuſcipiendum e ſacro Fonte, ſiue ſacra Vnctione, non debeant. puta, non legitimæ ætatis, neſcientes rudimenta fidei, Religioſos, & eos, qui nõ ſunt de volũtate parentũ baptizandorũ.

An doceat, quid Sacramentum Confirmationis importet.

An item omnes ad illud teneri, poſt diſcretionis annos.

a Conc. Trid. ſeſſ. 24 c. 7. de reformat. An pariter in reliquis Sacramentis populum inſtruat, [a] quare, quorſum, quomodo. Interrogetur quid ſoleat dicere.

An populo ſuo cum charitate Sacramenta adminiſtret.

An etiam diligenter, prompte, gratis, eo modo, quo debet.

An cum ſuper pellicio, & ſtola, præſertim Matrimonium.

b Seſs. 24. c. 1. An frequenter publicet decretum Concilij [b] de Matrimonio.

c ead. ſeſs. c. 10. An ſeruet tempus interdictum [c] nuptijs, & quod illud.

An ſine teſtibus, & fide, & licentia Vicarij vagantes in Matrimonium coniungat.

d ead. ſeſs. c. 1. circa princ. An denunciet Matrimonia, iuxta Concilium. [d]

An, ſi diuerſarum Parochiarum ſint contrahentes, in vtroque fiant monitiones, & fides habeatur.

An benedictiones extra Eccleſiam fiant, & an pro his aliquid exigatur.

An Matrimonia in Eccleſia duntaxat contrahantur.

An clam, vel ante Solis ortum, vel ſine præſentia teſtium, & cum irreuerentia aſtantium; & an aliquis abuſus, vel ſuperſtitio in ijs contrahendis irrepſerit.

An perſuadeat contrahentibus, vt prius confiteantur, & communicent.

An, ſi

An, ſi eſt idoneus, per aliquos dies ante habeat ſermonem de vi, & effectu illius Sacramenti.

An ſint in ſua Parochia, qui benedictionem non acceperint, maxime poſt Concilium. Vtatur diligentia, & illos moneat.

An librum Matrimoniorum conficiat, & qua forma. Oſtendat.

Quid ſeruet in ſecundis nuptijs.

An fiant conſignationes Annuli, vel fileti ante denunciationem.

An coniuges in benedictione ſe oſculentur, aut amplexentur in Eccleſia.

An ſub Baldachino Sanctiſſimi Sacramenti. Ne fiat.

An ſciat aliquam ſuperſtitionem ad vitandas faſcinationes.

An propter dictas faſcinationes aliqui ſeparatim vitam agant.

An ſint, qui vxores impie derelinquant, aut male tractent, & e conuerſo.

An in ſua Eccleſia per ſe, vel alium prædicet, & quando.

Dum prædicatur, ſi ei videbitur, poterit pannus extendi inter viros, & mulieres.

An in Parochia ſint Oratoria, Societates, Monaſteria monialium, Hoſpitalia.

Nomina, inſtituta, mores, redditus, fama ſingulorum exhibeatur.

An illis aliquis ſine licentia prædicet.

An eius Parochia diſtincta ſit ab alijs. An alterius membrum, aut ei annexa membra, & an ipſe vtrobique curam exerceat.

An nimis numeroſa ſint membra Parochiæ vnienda, aut diſunienda, ſegreganda ve.

An diſtantes domos habeat, & alteri Parochiæ viciniores.

An numerum familiarum in Parochia ſua exiſtentium ſciat.

An omnium Parochianorum librum habeat: ſi non habeat, iubeat, vt illum conficiat alphabetico ordine.

An qualibet hebdomada totam Parochiam viſitet.

An ſciat populi ſui neceſſitates temporales, & ſpirituales; & an eis conſulat, vt poteſt.

An habeat curam mendicantium, & expoſitorum in ſua Parochia.

An moneat mulieres, præſertim obſtetrices, ne circa infirmitates infantium ſuperſtitioſa dicant, aut faciant.

An curet, vt in Parochia ſua nulla ſint vitia.

An ſciat aliquos in Quadrageſima carnes comedere, tam in Parochia ſua, quam alibi, & ob quam cauſam, an infirmitatis.

An Apoſtatæ in Parochia aliqui ſint, ſeu regulares, extra eorum Monaſteria viuentes, & quomodo appellentur.

An intra, vel extra Monaſteria delinquentes, ſeu ſcandaloſi, qui vocentur.

An comœdiæ, ſeu aliæ comicæ actiones, vel repræſentationes ſpirituales, & maxime cum fictione Sacramentorum, aut religioſorum, aut cum peruerſione Scripturæ ſacræ, aut alias fiant ſine licentia,

An uſpectæ lamiæ, vel ſtriges.

An morbum hominum, uel animalium carminibus, & incantationibus curantes.

An diuinatores, an ſuperſtitiones, circa herbas colligendas, & dies Lunæ obſeruandos.

Animaduertat Parochus, ne in Pane benedicto, aut ſimilibus obrepat aliqua ſuperſtitio.

An in Parochia Clerici ſine habitu, & cenſura incedant.

An perditæ vitæ, ſiue diſſoluti, mali exempli, aut ſcandaloſi ſint.

An permittat meretrices publicas, concubinarioſque eiuſmodi.

An excommunicatos ab Eccleſia arceat.

An in Parochia ſua peccata aliqua publica vigeant.

An domus ſuſpectæ, an artes illicitæ.

An incogniti homines, vel circulatores.

An delatores, blaſpemi, lenones, aut bonorum morum corruptores.

An diſſidia, & inimicitiæ, & an eas pacificare curet.

An in omnibus curet, ne quod ſcandalum populo detur.

An in Parochia ſint mulieres, quæ puellas doceant.

An ex legato, cappella, aut pictura, & quid aliud in Eccleſia fieri debeat.

An iocos, aut alia prohibenda in Eccleſia fieri permittat.

An oblatæ pro Miſſis eleemoſynæ deſcribantur, ac notentur.

An earum librum habeat, & eis ſatisfieri curet.

An ſint aliqua legata pro Miſſis, officiis, ſeu luminaribus.

An, quæ legati vigore fieri debent, diligenter fiant.

An moneat ſubditos de legatis pijs ſeruandis.

a c. 1. de ſepu. lib. 6. Caueat, ne per auaritiam perſuadeat infirmis, vt relinquant [a] aliquid Eccleſiæ, qui alias non eſſet relicturi.

An in ſepeliendis cadaueribus auaritiam vitet, & quid pro illis ſoluatur.

Quæ conſuetudines ſint circa illas, & an obſeruentur.

An in ſepulchris tantum, cœmeterijſque ſepeliat.

An permittat Eccleſiam effodi pro ſepulchris conficiendis.

An in Eccleſia extra monumenta ſine licentia ſepeliat, etiam lapide ſuperimpoſito.

An

An diſcedat, antequam clauſum ſit ſepulchrum.

An librum teneat reddituum, & expenſarum Eccleſiæ.

An habeat Inuentarium omnium bonorum Eccleſiæ. Exhibeatur exemplum Viſitatori.

Poſtremo interrogetur, ſi ſunt plures Parochi in ciuitate, vel oppido inſigni.

An alios Parochos noſcat, an ſciat aliquem ex illis male viuere, aut eſſe ſcandaloſum, concubinarium, aut alios habere defectus?

Item, an Parochi ſe inuicem viſitent, præſertim conuicini, in infirmitate, & vnus alium adiuuerit, & ſe ab ægrotante certiorem fieri curet de iuribus ad Parochiam ſpectantibus.

Eligendus eſſet Parochorum Præfectus in Ciuitate, vbi ſunt plures Parochiæ, qui conuocaret alios ad Parochiam vacantem, vt celebrarent pro defuncto, & orarent pro bono ſucceſſore, qui etiam acciperet omnes libros, & ſcripturas Parochiæ aliis præſentibus.

Viſitetur domus Parochi, & videatur, an ſarta tecta ſint, & an aliqua ibi indecentia habeat.

Videantur libri omnes.

Vocandi ſunt ad domum, & examinandi ſubditi aliqui melioris exiſtimationis, & conſcientiæ, de vita Parochi.

Item quærendum, an ſubditi ad aliquid Parocho teneantur.

Item, an aliquid ſint ſoliti dare tempore adminiſtrationis Sacramentorum Confeſſionis, Communionis, Baptiſmi.

An de die permittat Altaria eſſe ſine ornamento, ſaltem maiora. Ne fiat.

An mane ſingulis diebus parentur.

An ſint Altaria, quæ non habeant dotem; & an parentur impenſis Eccleſiæ, vel cuius.

An habeat Altare priuilegiatum.

An in eo aliquando pro defunctis celebret.

An teneat tabellam in Sacriſtia omnium Miſſarum, quæ in quolibet die ſunt celebrandæ, & per quem.

An notentur, qui non ſatisfaciunt muneri ſuo.

An ſciat aliquos non ſatisfacere, & qui ſint.

An doceat populum, quomodo ſit honor, & reuerentia adhibenda reliquijs, & imaginibus Sanctorum.

Et quomodo ſunt inuocandi Sancti, & quæ veneratio eiſdem debeatur, iuxta Sacroſanctum Concilium Tridentinum.

An curet, vt lãpades ſemper ante S. Sacramentũ Euchariſtiæ ardeãt.

An curam diligenter habeat omnium presbyterorum, circa eorum vitas mores, & ſeruitia Eccleſiæ.

a Si eccleſia eſt in oppido inſigni, obſeruet tabellas prout ſup. & c. 52. & alia deſcripta in uiſitatione Sacriſtiæ.

b Seſſ 25. decret. de inuocat. & ven.

## *Viſitatio Primicerij, vel Cantoris.* *Cap. LXXVII.*

ABSOLVTA Viſitatione Archipresbyteri, Viſitator debet viſitare Cantorem, vel Primicerium, qui ijdem ſunt, & ſi diuerſis nominibus vocetur, à quibus ea, quæ in Viſitatione Archidiaconi notata ſunt, interroget, & ea, quæ ad Sacerdotem pertinent; & circa clericos, & circa laicos, vt ſupra. Et, quia eius officium eſt, habere curam Diaconorum, & Subdiaconorum in canendis lectionibus, & Choro etiam præeſſe, vt in Decretali, De offic. Primicer. habetur: animaduertat in hoc, quòd ſecundum conſuetudinem locorum, variæ conſuetudines obſeruantur, ex quibus illa eſt attendenda, quæ bona, & laudabilis eſt. Ideo viſitandus eſt Cantor, & interrogandus, vt ſupra; & etiam pro vt ſupra in Viſitatione Magiſtri cærimoniarum, & Diaconi notatum fuit: & præter prædicta non ſolum perquirendum, an ipſe bene canat, & intonet in Choro, & ſuum officium bene exerceat, ſed etiam an ſciat alios docere, & regere Chorum: quia citra hoc, vt plurimum verſatur eius officium.

Interroget poſtea, an emiſerit profeſſionem fidei, prout etiam omnes Canonici tenentur facere, idque coram Epiſcopo, vel Vicario,
a Seſſ. 24. c. 1. & melius. 12. de reform. vel coram Capitulo, iuxta decreta Sacroſancti Concilij Tridentini.[a]

Et omnia, quæ ad eius officium pertinent, prout inuenerit, deſcribi faciat in libro Viſitationis per Notarium.

Item, an ſemper præſit in Choro in Diuinis Officijs.

An permittat canere in Choro vocibus diſparibus, & diſſonantibus.

An plures Miſſæ cantentur in vna Eccleſia eodem tempore.

An faciat tabellam miniſtrorum in feſtiuitatibus ſollemnibus, maxime quando Epiſcopus Pontificaliter celebrat.

An in Choro ſilentium ſeruetur, & illud ſeruari curet.

Reliqua videat in Decret. eod. tit. per tot.

## *Viſitatio Sacriſtæ, ſeu Cuſtodis Sacrorum.* Cap. LXXVIII.

POSTEA viſitabit Cuſtodem, ſeu Sacriſtam, qui eſt unus ex officialibus principalibus Eccleſiæ, licet officium hoc parui pendatur noſtris temporibus in aliquibus Eccleſijs, & male. cum ſacri Canones illud valde commendent; [a] dicantque, In his tribus Eccleſiæ columnis, Archidiacono, Archipreſbytero, & Cuſtode, ſeu Sacriſta conſiſtere debet alma mater Eccleſia. Propterea curabit, vt ad hoc ij potiſſimum eligantur, qui meliores, & ſanctiores eſſe cæteris exiſtimati fuerint: vt nulla negligentia in ſancta Dei Eccleſia conſpiciatur.

[a] In fin. de off. cuſt.

Quod ſi non inuenerit Sacriſtas tales, quales ſacri Canones mandant, ipſos admoneat; & meliores, & bonæ opinionis, famæ, & conſcientiæ, viros ſubſtituat. In Sacriſta autem viſitando hac methodo vtetur.

Primo deſcribi curabit nomen, & cognomen, patriam, ætatem, & ordines illius.

Animaduertat, ſi eſt vnus tantum, qui ſit Sacerdos; ſi ſunt plures, poſſunt eſſe alij eius Coadiutores Diaconi, ſed nequaquam Clerici.

Interroget poſtea eum, prout ſupra in Viſitatione Archidiaconi, ſi eſt Presbyter, prout ſupra in verbo Sacerdotes. Si eſt Diaconus, pro vt ſupra in verbo Diaconi.

Deinde interroget, an bona Sacriſtiæ per inuentarium acceperit.

An cautionem dederit idoneam.

An omnia munda conſeruet, & an diligens ſit in miniſterio ſuo.

An vllis Eccleſiæ miniſtris præſit, & quibus.

An Clericos, & Acolythos regat, & corrigat.

An male moratos, & perditis moribus præditos perferat.

An in Sacriſtia Laicos verſari permittat.

An etiam mulieres.

An deambulationes tam in Sacriſtia, quam etiam in Eccleſia permittat fieri.

An pariter, riſus, colloquia, tumultus, & ſimilia.

An fores Eccleſiæ opportune claudi curet, & aperiri.

An aquam benedictam ſingulis ſabbathis renouet, & mutet.

An Officia, & Miſſas opportune ſignificare curet.

An curet obſeruari ea, ad quæ Cappellani, Clerici, & alij miniſtri tenentur; &, ſi defecerint, Epiſcopo, vel Vicario notum faciat.

An Sacriſtia habeat tabellas omnes, vt ſupra notatas in verbo Tabellæ [a] in viſitatione Sacriſtiæ.

a Sup.eo.c.47 An in tabella Miſſarum ponatur, vbi, quæ & per quem ſit Miſſa celebranda.

An in Eccleſia permittat eos celebrare, qui licentiam non habent.

An ornamenta ſint omnia munda.

An male ordinata, & conſciſſa, vel diſſuta.

An libenter præparet, & cum charitate ornamenta celebrantibus exteris, & aduenis.

An permittat aliquem celebrare ante auroram, vel poſt meridiem.

An ſtudioſe ornet Altaria.

An frequenter Altaris tobaleas mutet, & quando.

An diligenter cuſtodiat Eccleſiam, & Sacriſtiam.

An in feſtiuitatibus maioribus, & Sancti Titularis Eccleſia ipſa paretur.

An Calices, Corporalia, Purificatoria, & alia decenter curet.

An curet luminaria, ceram, & oleum.

An paret hoſtias, vinum, aquam, & cereos, ad vſum rei ſacræ, vt conuenit.

An omni ſuo conatu curet in Eccleſia deuotionem, & cultum augeri Diuinum.

An diſcedat à Sacriſtia, donec eſt tempus celebrandi Miſſas, & alia Diuina Officia.

An habeat ſocium in Sacriſtia.

An habitet, & dormiat de nocte prope Sacriſtiam, vel vbi.

Interroget, an ſciat conferre Sacramenta, ſi illa conferenda nocte contigerit; & quomodo; ſin minus, inſtruatur.

An ſit aliquis in dignitate conſtitutus, vel Canonicus, vel quis, qui præſit Sacriſtiæ, & videat ſæpe vinum, an ſit bonum, vel hoſtiæ an ſint recentes, & bene purgatæ, & ornamenta an diſſuta, an conſciſſa, & omnia alia, an ſint munda, & nitida.

An ſciat colores, quibus diuerſis anni temporibus Sancta Eccleſia vtitur, vt dicant diſtincte, qui ſint.

An in Sacriſtia ſint ornamenta omnium prædictorum colorum.

*Viſitatio*

## *Viſitatio perſonalis Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Clericorum, remiſsiue. Cap. LXXIX.*

VISITATIS ijs, dignitatem, vel officium aliquod habentibus in Eccleſia, ac Canonicis, & Manſionarijs, eo ordine, quo diximus, deuenire debet Viſitator, ordine ſeruato eorum promotionis, (ſi fieri poteſt) ad viſitationem aliorum ſigillatim, & in eorum viſitatione eundem ſeruare ordinem, quẽ tradidimus in viſitatione Archidiaconi, mutatis mutandis; & quemlibet eorum interrogare; vt ibi dicitur: & prætercea addet etiam, quæ ſequuntur; interrogabitque,

An habeat beneficia. declaret quæ, & omnia deſcribat; videat litteras collationis, & cognoſcat.

An ſit Canonice inſtitutus.

An habeat plura beneficia.

An ſint ſub eodem tecto, vel alia incompatibilia.

An illis deſeruiat, vel non. quia ex cauſis prædictis condemnari debet ad reſtitutionẽ fructuum. quòd ſi dictæ litteræ, quas exhibuit, ſint bonæ, adnotentur in libro Viſitationis, hoc modo, Oſtendit litteras expeditas à Sanctiſſimo D.N. Anno N. ſub die N. Si non habet litteras, & ipſa beneficia poſſideat, abſque Canonica inſtitutione, ſcribat in ijſdem Actis; Non oſtendit, & ſimiliter tenetur ad reſtitutionem fructuum. poſtea interroget,

An ſciat recitare horas Canonicas, diurnas, & nocturnas, & ſi eas recitat quotidie. alias tenetur ad reſtitutionum fructuum vigore Concilij Lateranenſis ſub Leone [a] X. & conſt. fel. recor. Pij. V. [b]

Videat pariter, an Sacerdotes bene, & diſtincte legant.

An frequenter, vel raro, vel quando celebrent.

An ſciant bene, & explicite celebrare, & an cærimonias Miſſæ teneant, vt in rubricis noui Miſſalis adnotantur.

Interrogentur omnes ſacros ordines habentes ſuper doctrinam Sacramentorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ ad ſingula interrogata diſtincte, & explicite reſpondere teneantur.

a Seſſ. 9. §. ſtatuimus.
b Incipien. .n. iexpreſſ; 8

Quod ſi bene reſponderint, ſcribat, Bene reſpondit. Sin minus, Competenter reſpondit.

Quod ſi omnia penitus ignorauit, ſcribat, Ignorauit, vel, Penitus omnia ignorauit, vel ipſius reſponſionem ad verbum ſcribat, ac notet.

Interrogētur pariter omnes Clerici ſuper doctrinam Chriſtianam, & ſcribat eorum reſponſiones: prout ſupra.

Poſtea ab omnibus indifferenter perquiret,

An habeant libros dignitati, officio, & ordini ſuo congruentes, & quos. dicant, & oſtendant. & Viſitator in capite libri cuuſlibet ſua manu propria nomen, & cognomen domini, cuius liber, erit, apponat: quod faciat etiam ſimiliter in Miſſalibus, & Breuiarijs.

An habeant Conſtitutiones Prouinciales, vel Diœceſanas Synodos.

An habeant veſtes ſacras, ſuperpellicium non conſciſſum, nec ſordidum.

An incedant in habitu, & tonſura. Et omnia ſcribat, prout inuenerit.

Notandum etiam, quod Sacerdotes præter prædicta ſcire, & habere debent ea omnia, quæ notauimus: ſuper quibus interrogandi

a Sup.eo.c. ſunt, vt in verbo Cappellani, & Sacerdotes [a] celebrantes.

b Sup. Interroget etiam Diaconos, & Subdiaconos, prout ſupra in verbo Diaconi, [b] & Subdiaconi notatum eſt. Videatque,

An habeant litteras ordinum. ſi non habent, detur terminus, vt ſaltem per teſtes doceant; alias ſuſpendantur.

Similiter etiam Clericos debet interrogare, prout ſupra in verbo

c Sup.eo.c. Clerici.[c]

Et, quos eorum aptos, & bene diſpoſitos inuenerit, laudet eorum diligentiam, quia Virtus laudata creſcit.

Quos vero deſides, negligentes, & ignorantes, reperiet, arguat, increpet in omni patientia, & admoneat, vt filios, eiſque præfigat terminum, vt diſcant, quæ ſcire teneantur, & apti fiant ad munus ſuum obeundum, &, quos perſeuerantes in ignorantia inuenerit, & obſtinatos, in fine Viſitationis ſuſpendat, & priuet, prout ſibi de iure videbitur.

Quoniam huc vſque multa de Viſitatione Eccleſiarum, & perſonali diximus, multaque adnotauimus, quibus opportuna ſunt adhibenda remedia, poſtulat ordinis ratio, vt, quo pacto ſint publicanda huiuſmodi remedia, ſiue Decreta, demonſtremus.

## *Decreta Viſitationis Eccleſiarum, & Cappellarum, quomodo publicanda. Cap. LXXX.*

POSTQVAM viſitauerit Eccleſias, & Cappellas, eo ordine, quo docuimus, & Decreta, quæ neceſſaria uiſa fuerint, interpoſuerit ſuis loco, & tempore, vt omnia debitæ excutioni demandentur, ne quiſque igno rantiæ clypeo ſe tutari poſſit, moneat in Eccleſia prius omnes, vt conueniant die N. feſto. quibus ſic congregatis, & ipſo Viſitatore ſedente, in Choro, in ſua Sede, ibidem præſentibus Aſſiſtentibus, & Clero, & Populo in vnum coacto, inter Miſſarum ſollemnia, vel poſt, legantur Decreta in Viſitationis ſerie interpoſita, per Notarium Viſitationis, ex ſuggeſtu, ad hoc, vt omnibus, quæ prouiſa, ac ſtatuta fuerunt, innoteſcant, nec elapſo termino in Decretis præfixo, ſe excuſare poſſint, ſed ea, prout decet, exequantur, prout ſupra late docuimus.

## *Decreta perſonalis Viſitationis. Cap. LXXXI.*

SIMILITER expleta Viſitatione perſonali, diligenter Viſitator videat, inſpiciat diligenter, ac ſcrutetur omnia huius perſonalis Viſitationis acta, prout ſcilicet ſinguli interrogati reſponderint in ſuis Viſitationibus; &, prout neceſſarium eſſe, ac conducere iudicauerit, ipſos moneat, corrigat, & caſtiget, ac puniat, vel ſuſpendat; vt iuri conſonum fuerit; hoc modo.

D. N. ob eius notabilem ignorantiam ab Altaris miniſterio remotus fuit.

D. N. ob

D. N. ob eius in Sufficientiam fuit ſuſpenſus, quoad ſcierit ea, quæ ad ſuum ordinem exercendum. & ſic de ſingulis.

Quod ſi quem plura beneficia ſub eodem tecto tenentem inuenerit abſque Apoſtolica diſpenſatione; interponat decretum huiuſmodi.

D.N. inuentus eſt tenere, & poſſidere beneficium, ſeu capellam N. & aliud beneficium N. vel Ius patronatum intus, & ſub eodem tecto dictæ Eccleſiæ, quæ de iure abſque Canonica diſpenſatione teneri non poſſunt. Nos itaque, mitius cum eo agendo, aſſignauimus illi terminum duorum menſium peremproprie à publicatione præſentium numerandorum, infra quem obtinere debeat à Sancta Sede Apoſtolica, & huic Curiæ præſentare diſpenſationem obtentam. alias, termino prædicto elapſo, & non obtenta, & præſentata prædicta diſpenſatione, ex nunc, prout ex tunc, ipſo termino elapſo, prædictis omnibus beneficijs priuatus ſit, prout ex nunc, ſicut ex tunc, ipſis prædictis beneficijs priuatur, ita, vt termino prædicto elapſo. ſi de prædicta diſpenſatione non docuerit, poſſint dicta beneficia abſque alia declaratione alijs conferri.

D.N. Qui repertus concubinam, & filios habere, & in ipſo concubinatu incorrigibiliter perſeueraſſe, &c. extendat Viſitator decretum, prout ſibi videbitur, ſeruatis ſanctionibus Sacroſancti Concilij Tridentini, & Conſtitutionum Synodalium.[a]

[a] Seſſ. 24. c. 14. de refor.

Et ſic, prædicta methodo ſeruata, poteſt formare omnia alia decreta, ſeruatis ſeruandis, tum circa eos, qui incorrigibiles fuerint, concubinarijve, ſiue non recitantes horas Canonicas, & ijs ſimiles.

Et ſic per Viſitatorem decretis conſcriptis, & firmatis, omnes, & ſingulos monebit, vt die tali conueniant in Sacriſtia, vel in aula Reuerendiſſimi, vel in alio loco ſecreto, ne Laicis innoteſcant defectus, & imperfectiones Clericorum; ibique præſente ipſo Viſitatore, & ſedente, per Notarium legantur, & publicentur decreta Viſitationis perſonalis ipſis pænitentibus, & audientibus.

Viſitatio

## *Viſitatio orationis Quadraginta horarum. Cap. LXXXII.*

DEINDE interroget aſſiſtentes, & dignitates Eccleſiarum, ac Parochos, an, & quando, & quoties fiat oratio Quadraginta horarum.

Quod ſi ibi non ſit in vſu, eam inſtituat, horteturque Clerum, & populum, ac ſocietates, quod ad æmulationem in ea frequenter ſe exerceant. Quomodo autem ſit facienda, quæ ve regulæ ſint ſeruandæ, videantur Acta Eccleſiæ Mediolanenſis ſub hoc verbo. Præterea, quæ in calce hic ponentur. Quod ſi fiat, interroget,

An delicentia, & a quo facultas fiat.

An cum deuotione, & an ſit Præfectus in tali opere, vt omnia ordinate fiant, & ad Diuini cultus dignitatem dirigantur.

An decenter, quot luminaribus, & expenſis quorum.

Quas orationes faciant, & quis modus orandi.

Quomodo alijs ſubeuntibus locum cedant.

An hora prorogetur.

An de nocte fores claudantur.

An diuiſis maribus à fœminis oretur.

An fœminæ de nocte. Nequaquam ſed de die.

An cum deuotione, & proceſſione portetur Sanctiſſimum Sacramentum ad locum deputatum.

An locus decenter ornatus ſit, & aptus ad tales orationes.

Regula

## *Regulæ quomodo fieri debet oratio Quadraginta horarum, & quare ſub hoc numero. Cap. LXXXIII.*

SANCTOS Patres noſtros legimus varijs modis orare ſolitos fuiſſe: ſed ſemper valde laudata fuit, ac commendata oratio communis, & multorum. ad quod confirmandum varia exempla per eos adducuntur: quæ quoniam apud eos paſſim legi, ac videri poſſunt, prætermittam, contentus hoc vnū tamen adduxiſſe. nam ſæpe vſu euenire ſolet, vt Dominus temporalis, vnius intuitu, ac precibus, nolit aliquam concedere gratiam; ſed, poſtquam viderit totam ciuitatem acclamantem, ſeque enixius rogantem, flectitur tandem, nec poteſt denegare, quin concedat, quod tantorum precibus, ac ſupplicatione petitur. ita miſericors, ac pius Deus, licet omnibus eum inuocantibus ſemper præſto ſit, tamen multorum precibus, ac orationibus facilius eius gratiam impetrari cenſendum eſt. Scriptum eſt enim, Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum eſſe Deum; & alibi dicitur, Multum valere orationem iuſti aſſiduam. Et, quia hic numerus quadragenarius ſacratus eſt, & valde commendatus in paginis veteris, & noui Teſtamenti, & Deus omnipotens per ipſum multa ſigna nonſtrauit, propterea ſub hoc dierum numero potiſſimum hāc orationē facien-
a Geneſ.c.7. dam à ſanctis Patribus inſtitutum eſt. nam 40.[a] Pluit Deus aquas di-
b Geneſ.c.8. luuij. poſt 40.[b] dies Noe aperuit arcam. 40.[c] diebus Moyſes fuit ſu-
c Exod.c.34. pra montem Synai, vt legem Domini mereretur accipere. Per
d Numer. c. 33. 40.[d] manſiones Populus Iſrael venit in terram promiſſionis. 40.[e] an-
e Exod. c.16. nis dictus populus manna cibatus fuit à Deo in deſerto. 40.[f] diebus
f Exod.c.34. ieiunauit Moyſes, & [g] totidem Helias. 40.[h] diebus pænitentiam fece-
g Reg.3.c.19. h Ioan.c.3. runt Niniuitæ. 40. diebus dormiuit Ezechiel ſuper latus ſuum dexte-
i Matth.c.4. rum. 40. annis deſolatus fuit Aegyptus. 40. menſibus prædicauit Do-
k Act.c.1. minus noſter Ieſus Chriſtus in hoc mundo. 40.[i] diebus ieiunauit in deſerto. Quadragiuta horis Sanctiſſimum eius corpus fuit in Sepulchro. 40.[k] diebus in hoc mundo poſt Reſurectionem ſuam.

Et, licet omnibus, & cuilibet prædictorum actuum huius orationis ſeries poſſet applicari, nihilominus Patres ſancti Primitiuæ Ec-

clesiæ

cleſiæ prædictis quidem omnibus aptauerunt, ſed præcipue 40. horis, quibus Corpus S. D.N.Ieſu Chriſti fuit in ſepulchro. & ideo hæc oratio debet fundari ſuper paſſionem eius; quæ, vt pie ac ſanctè à Chriſti fidelibus fieri poſſit, has regulas ſubtexuimus in eâ ſeruanda.

In primas, cum hæc oratio erit facienda, debet iudicari, & publicari aliquot diebus ante, vt omnes ſe ad eam præparare poſſint.

Debet præparari locus ornatus, obſcurus, ad modum Sepulchri D.N.Ieſu Chriſti, prout feria V. in Cæna Domini conſtruere conſueuit Eccleſia.

Non adhibeantur ad illius ornatum panni laſciui, & picturæ inhoneſtæ, ſed deuotæ.

Sint ad minus 13. lampades ardentes & candelæ mediocris magnitudinis, iuxta facultatem locorum, vel totidem, vel ad minus ſex.

Sint Miniſtri, & cuſtodes, qui illas ſubminiſtrent, & cuſtodiant.

Sanctiſſimum Sacramentum cum proceſſione deuote portetur cum luminaribus, & ibi ſupra Altare collocetur in Tabernaculo oſtenſorio, vt ab orantibus videatur, ſuperpoſito velo ſericeo, & deaurato.

Homines orent, diurno, & nocturno tempore, ſed feminę nunquam nocte, ſed de die tantum, & ſeparatim a maribus.

Sit Pręfectus huic ſancto operi, qui per aliquot dies antea diſtribuat horas quadraginta viris & feminis, qui ſunt veluti duces, & ante ſignani aliorum.

Nunquam ceſſet oratio, ſed continua ſit.

Pręfectus conſtituat Sacerdotes, vel Clericos, qui ibidem ſemper in Eccleſia aſſiſtant, tenentes ſupra tabulam horam a renariam, & campanulam, qua finita detur ſignum cum campanula.

Primus, ſiue dux illorum, qui orauerunt, exeat primo capite detecto cum Crucifixo in manibus eleuato, & omnes bini ſequantur, & ex loco orationis per Eccleſiam proceſſionaliter ad Altare maius accedant.

Ibidem genuflexi inueniātur alij oraturi, & ibidem primus eorum, qui orauerunt, cum deuotione tradat Crucifixum Primo, ſiue Duci aliorum, qui ad orationem pergunt, qui eodem met ordine per Eccleſiam proceſſionaliter ad Altare maius accedant, & deuote ingrediantur locum Oratorij.

Vbi commode id fieri poteſt, debet quidam Theologus, vel Parochus in principio orationis genuflexus capite detecto ad modum exhortationis proponere aliquid ex paſſione D.N. Ieſu Chriſti meditandū, & pro quibus orandū docere, & pręcipue pro ſummo Romano Pōt. pro Rege, & Principibus Chriſtianis, pro Prælato eius Ciuitatis, & pro oībus alijs Pręlatis S. Eccl. pro omni Clero, & Populo, pro virginibus,

& viduis, & pro omnibus alijs, & in vniuerſum pro omni ſtatu Sancta Eccleſiæ, & Chriſtianorum; eiſque inſinuabit, ſi quid à Præfecto mandatum fuerit.

Finita qualibet hora, poſt pulſationem campanulæ, cum campana maiore Eccleſię detur ſignum vnum in prima hora, duo in ſecunda, & ſic in reliquis, vſque ad quadraginta horas.

Moneantur orantes, vt, antequam ad orandum intrent, confiteantur peccata ſua; qui ſi communionem quoque ſumpſerint, melius erit, & facilius exaudientur eorum orationes.

Oratione durante de nocte, Eccleſiæ fores claudantur, & aperiantur pulſantibus.

---

## *Circa Laicos quomodo procedendum remiſſiue. Cap. LXXXIV.*

QVONIAM Viſitator in Clericis viſitandis, multa eos de Laicorum vita, & moribus interrogare debet, vt ſupra docuimus, facileque eueniet, vt ex eorum reſponſionibus Viſitator colligat, multaque emendet, ne hac reformatione indigeant in Populo, cumque inſuper Curati, & Parochi teneantur Viſitatori nota facere publica Laicorum crimina, quæ corrigere, punire, ac multare ad forum Eccleſiaſticum pertinet, de quibus etiam Viſitator inibi à ſenioribus viris, & timore Dei plenis perquirere debet, eos hortando, vt ad Omnipotentis Dei gloriam, Populi reformationem, & ſalutem animarum, ad ipſum perferant; ſi quod ſciant enorme crimen, aut publicum ibi vigere, ad eorum pœnam, ac multam debet Viſitator, perfecta Viſitatione, procedere. Quomodo autem hæc facienda ſint, & quomodo contra ipſos ſit agendum, dicemus infra, ſuo [a] loco, cum de viſitatione Diœceſis agemus. quæ omnia huic loco accõmodari poſſunt. quæ etiam, quæcunque hic dicta ſunt de viſitatione Ciuitatis, inſeruient viſitationi Diœceſis peragendæ, demptis aliquibus, quæ ſunt Eccleſiarum Cathedralium, Canonicorumque, & officialium, & ciuitatis præcipua, & particularia, de quibus à nobis ſupra ſigillatim pertractatum eſt. Sed, ne hanc partem totam in viſitatione Ciuitatis aut neglexiſſe, aut per ignorantiam, ſocordiam ve omiſiſſe

[a] Part. 2. c. 10. & ſeq. & c. 14

omiſiſſe videamur, nonnulla hic appoſuimus, quæ per Viſitatorem præſtanda erunt, ad vitam, ac mores Populi corrigendos, ac reformandos, quæ inutilia fore non exiſtimamus.

## *Quæ pertinent ad mores Populi corrigendos. Cap. LXXXV.*

PRIMO videat, an Parochus habet librum animarum populi, & an diſtinctè compoſitum, & digeſtum per Alphabetum exhibeat.

An in ipſo ſint notati, & deſcripti, qui illo anno confeſſi fuerunt, & communicati, & qui neutrum preſtiterunt.

Si quos non inuenerit ſatisfeciſſe præcepto Sanctæ Eccleſiæ, corrigat, & pœnitentiam eis ſalutarem iniungat, contumaces excommunicet, corrigat, & caſtiget, prout animarum ſaluti expedire videbitur.

Videat poſtà, (referente Parocho, & viris probatis tum Clericis, tum Laicis locorum, vel Parochiæ) an ſint abuſus particulares inter Laicos: videlicet.

An aliqua feſta ex præcepto Eccleſiæ ſanctificanda violauerint, & quæ. tum, an conſueuerint feſta violare.

Animaduertant, an dicant feſta violare non eſſe peccatum, quia ſapit hæreſim.

An ſint aliqui blaſphemi, & qui.

An aliqui, & qui ſint concubinarij, & quanto tempore perſeuerauerint.

An ſint adulteri, & inceſtuoſi.

Qui nam cohabitent cum mulierbus ſuſpectis.

Curet, & diligentiam adhibeat circa meretrices, & lenones, & circa confeſſiones eorum, & perquirat, an communicent, & quando, & quomodo; ne in damnationem accipiant Sacramentum.

Choreæ ne fiant die feſto, & cum laſciuia.

Prohibeat, ne ſint loca deſtinata, vbi aleatores ſe congregent.

Videat, an ſint mariti, & vxores non cohabitantes ſimul, vel diſſidentes.

An ſint fœneratores, & vſurarij, publici venefici, & incantatores, ac ſimiles.

An ſint aliqui ſuſpecti in fide, vel hæretici: & in hoc maximam diligentiam adhibeat.

An ſint aliqui excommunicati, & qua excommunicatione, an ſint contumaces in eius curia, & in diſciplina Eccleſiaſtica.

Prohibeat falſos quæſtuarios, ac ipſos puniat.

Confraternitates, Sodalitates, & Scholas Laicorum videat, viſitet, & prouideat, vt infra dicetur.

Præcedentiam ipſorum determinet.

Demum videat, an ſint in ciuitate, oppido, vel Parochia homines rixoſi, & an inter eos vigeant rixæ, inimicitiæ, & ſimultates; fures autem, & latrones, & huiuſmodi, & omnes facinoroſos homines hortetur, vt viam ſuam malam deſerant, à malo perpetrando declinent, & ad diſciplinam Chriſtianam aggregentur; ac cum omnibus agat, vt bonum Paſtorem, & Patrem ſpiritualem decet.

---

## *Viſitatio cum examine pro approbandis confeſſoribus. Cap. LXXXVI.*

Clauium poteſtatem à Domino Ieſu in Eccleſia relictam fuiſſe ad ſoluenda peccatorum vincula, & ad fores Cæli reſerandas, nemo verus Chriſti ſectator dubitabit, ac ſanctum Pænitentiæ ſacramentum ab
Ioan. c. 20. eodem inſtitutum, [a] vt lapſis, & peccati labe infectis eſſet remedium, & ad abluendas peccati ſordes, & ad ſummi Dei comparandam gratiam. proptereaq. & ſancti Patres, & Theologi omnes communi conſenſu dixerunt, Sanctum Pęnitentię Sacramentum eſſe ſecundam poſt naufragium tabulam. ex quo facilè apparet, quanta ſit huius Sacramẽti neceſſitas. proptereaq. non parua eſt adhibenda diligentia, vt dignè, ac congruè miniſtretur. ideoq. ab inſtituto noſtro non alienum eſſe duximus, huic Directorio inſerere praxim examinandi Confeſſores. in qua diligens, & exquiſita ratio ſeruari debet, vt infra docebimus. quod examen etiam à Viſitatore fieri poterit in viſitatione; ſed; quando extra viſitationem fiet à Prælato, vel eius Vicario, fieri debet præſentibus ibidem examinatoribus Synodalibus: prout Sacroſanctum

Concilium Tridentinum [a] mandat. Et, quoniam totum hoc onus approbandi Confeſſores, eoſq. ad audiendas pænitentium confeſſiones admittendi, examinatorum humeris incumbit, multa eos Viſitator monebit, & hortabitur, vt hoc ſibi iniunctum munus diligenter exequantur; ac omnia ad omnipotentis Dei gloriam, & honorem, atque ad animarum ſalutem dirigant.

a Seſſ. 24. c. 18. de reformat.

Conuocatis igitur examinatoribus omnibus, eos inſtruet, ac docebit, vt cognoſcant, quanta ſit commiſſi ſibi muneris grauitas, quantum pondus eorum humeris incumbat: qui ſi negligenter, aut male, ſe vllo modo geſſerint, Deo optimo primùm culpæ in eo munere admiſſæ exactam rationem ſe reddituros eſſe nouerint; poſtea verò hominibus, propter ſcandalum ignorantiæ eorum, quos approbauerint. Proptereaque eos monebit, hortabiturque, ne ſpe, ne ve metu, non prȩmio, non perſonarum acceptione, nec aliquo affectu ducantur in eligendis ijs, qui pænitentium confeſſiones audire debent. nam, vbi affectus animi, ac perturbationes vigent, non facilè rectum, ac bonum dignoſcitur.

Verùm, præpoſito ſibi inprimis timore Dei, nequaquam, quem indignum norint, probent, aut, quem experimento, periculoue facto idoneum, dignumque compererint, ne reijciant; ſed grauiter, maturè, prudenter, rectèque tam in probando, quam in reijciendo deliberent.

Et, priuſquam examen incipiant, cum in vnum congregati fuerint, orationes & preces præſcriptas [b] præmittant, ac Dei opem humiliter implorent, ſine quo nouerint ſe nihil boni, nihil recti, vllo vnquam tempore poſſe facere, dicente Veritate: Sine me nihil poteſtis facere [c].

b ſup. c. 56.

c Ioan. c. 15

Et ſciant, quod quilibet ad confeſſiones audiendas admittendus, præter ea, quæ ſcire debeat, vti Clericus, Diaconus, Subdiaconus, & Sacerdos, vt ſupra notatum eſt ſuis locis [d], debet etiam interrogari, priuſquam ad Confeſſarij onus approbetur, ſigillatim de infraſcriptis, ſuper quibus benè reſpondere debet, aliàs non eſt approbandus.

d cap. ſupra c. 66. & 69.

Et primo de Sacramenti Pænitentiæ neceſſitate.

Quare inſtitutum ſit hoc Sacramentum, & à quo inſtitutum.

Quæ huius Sacramenti materia
Quæ forma
Qui illius effectus
Qui miniſter
} ſit.

Quæ conditiones in eo requirantur.

Quȩ regulȩ ad dignoſcẽdũ, & diſtinguẽdũ peccatũ mortale à veniali

Quæ Pænitentiȩ partes ſint.

Quȩ

Quæ earum partium ratio.
Quid Contritio ſit.
Quæ ad veram Contritionem ſint neceſſaria.
Qui Contritionis fructus, & vtilitas.
Qua quiſque ratione ſe ad Contritionem exercere poſſit.
Quæ ſigna ſint veræ Contritionis.

Perquiratur item, quæ Confeſſionis, quæ par Pænitentiæ natura eſt, atque ſubſtantia.

An diligenter inquirere ſciat, & peccatoris circumſtantias, & peccati item.

Quæ mutent ſpeciem peccati, & quæ in Confeſſione explicanda ſint.

Quæ reſtitutionem poſtulent, quæ radices, cauſæue reſtitutionis.

An dubios, ſuſpectos ve contractus norit, aut ſaltem de ijs dubitationes & quæſtiones inſtituere, inire ve faciat.

Quibus criminibus annexæ ſint cenſuræ.

An item illarum peritiam, & vim teneat.

An caſus, in quibus irregularitatis macula contrahitur.

An ſaltem in ijs omnibus, & alijs, quæ ad verum, perfectum ve huius Sacramenti Pænitentiæ miniſtrum pertinent, ſciat dubitare, & nouerit conſulere peritos, quomodo agendum ſit id, quod in dubitationem adducit.

Qui item ritus, & ſacræ cærimoniæ Confeſſionis.

Quæ condiciones ad Confeſſionem vere pænitentis neceſſariæ.

Qui ordo confitendi, quando quis ſtatim confiteri debeat, quomodo.

Item confeſſionem iterare.

An ſciat condiciones Pęnitentiæ.

De Satisfactione, quæ tertia pars Pænitentiæ eſt, quæratur.

Quæ Satisfactionis partes.

Qui Satisfactionis finis.

Qui fructus, quæ ve vtilitates Satisfactionis.

Quæ in Satisfactione requirantur.

Qualis, & quanta pænitentia pænitenti imponi debeat.

An ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones pro grauitate criminũ, & pęnitentium facultate iniungere ſciat.

An item ex Innocentij Tertij præſcripto, more periti medici, ſciat infundere vinum, & oleum vulneribus ſauciati, ac quale debeat præbere remedium, aut conſilium.

Dicat modum, quo vtitur examinando pænitentes.

An ſciat inducere pænitentem ad contritionem, & quomodo.

An prȩterea Canones Pænitentiales recte teneat.
Quæ differentia ſit Satisfactionum, & Pȩnitentiarum. &c.
De Abſolutione indagetur.
Quȩ verborum formula requiratur.
Quȩ preces, quȩ ve orationes prȩterea adhibeantur.
Quis ordo ſeruandus in abſoluendo, tam à peccatis, quam ab excommunicatione, ſuſpenſione ve.
De ſigillo item Confeſſionis plura quȩrantur; ac prȩſertim, quȩ uis, & quanta ſigilli.
Quæ ſub illud cadunt.
An recte norit caſus, & Sanctæ Sedis Apoſtolicȩ, & Ordinario reſeruatos, & ſignanter in Bulla Cænȩ Domini.
Tandem, ſit Confeſſor probatȩ, & exemplaris vitȩ, & doctrinȩ, bonorumque morum grauitate præditus, & ȩtate matura, maxime qui mulierum confeſſionem audit.

---

## *Viſitatio cum examine pro approbandis Prædicatoribus. Cap. LXXXVII.*

NON paruam quoque diligentiam, Viſitatorem adhibere oportet, in viſitandis, ac approbandis Prȩdicatoribus. ſunt. n. veluti morum magiſtri, ac totius Chriſtianȩ Diſciplinæ duces, & præceptores: cum Populus, quȩ ex ipſis audierit, veluti oracula quædam, & prudentum reſponſa ſibi imitanda, exequenda ve proponat. Qua propter diligenter animaduertendum erit à Viſitatore, vt ij Prȩdicatores potiſſimum eligantur, qui in Vinea Domini operentur, errores tollant, ac bonum ſemen ſerant, ne ve iam ſatis ſeminibus zizania in ſerant. Conuocatis igitur ijs, quibus concionandi onus incumbit, ac adhibitis Examinatoribus, multa ab ijs perquiret, ac præſertim ſuper ijs, quæ ſequuntur, diligenter eos interrogabit, qui examinandi, ac approbandi Prædicatores. Ordo ab Epiſcopo etiam ſeruari poterit, cum pro Quadrageſimæ, Aduentuſue tempore, Prædicatores examinabit, ac præuio examine approbabit, ac prædicandi facultatem eis gratis, iuxta, Sacroſancti Concilij Tridentini decreta,[a] impartietur.

a Seſſ. 5. c. 2. §. regulares.

Primo

Primo interrogabit, an dogmata omnia, ac articulos a Sacro S. Trid. Conc. explicatos teneat, ſciatque: ſuper quibus ſigillatim erit examinandus. Deinde,

An reliquos Theologiæ locos neceſſarios notos habeat.

Quos auctores potiſſimum ſequatur in explicandis ſacræ Scripturę locis; quem ex ſcholaſticis præcipue familiarem habeat; tum, quem ex ſanctis Patribus.

An ſacros Bibliorum libros ſæpius cum gloſſa, vel alio interprete ita legerit, ac ſtudioſe euoluerit, vt locos inde prompte, & expedite in concionibus ſumere poſſit.

An ex antecedentibus, conſequentibuſque verum ſacræ Scripturæ ſenſum, & Euangelij elicere ſciat. ac vno propoſito exemplo fiat periculum.

An temere, & ad ſuam ſententiam Scripturæ ſanctæ ſenſum detorqueat: an tropologicos, morales ve ſenſus cum littera non cohærentes commentetur.

An in explicandis Parabolis, verum, germanumque ſenſum, iuxta ſanctorum Patrum placita, ſequatur, prætermiſſis ijs, quæ nihil ad rem faciunt.

An Apoſtolicas, Eccleſiaſticaſque traditiones, an ſacrorum temporum, & rituum myſteria, tum an rerum in Eccleſia geſtarum, Conciliorum prę ſertim vniuerſalium, cognitionem habeat.

An Sanctorum vitas, geſta, mores, actiones, hiſtoriaſque teneat.

An ſummorum Pontificum Iura, & Conſtitutiones ſciat. tum, an congruam ſaltem Iuris Canonici cognitionem habeat.

An in Caſuum conſcientiæ doctrina ſit probe verſatus.

An Myſtica Theologię pręcepta, dogmataque probe norit, ad ſpiritualis vitæ inſtituta tradenda, ac ſedandos animi affectus, ac hominem interius reformandum.

An morum, ac Chriſtianę diſciplinę locos ordine collectos recte notos habeat.

Quibus locis vtatur ad commouendos varios affectus in animis auditorum; cum eos, aut ad Diuinum amorem, aut ad cęleſtis Patrię deſiderium, aut ad virtutum ſtudium accendit, vel ad deteſtanda propria ſcelera, vel ad miſericordiam, ac cęteras animi affectiones inducit.

An concionem recte, ac concinne diſponere ſciat.

An concionis ingreſſum recta ratione faciat, vt vitia, quæ in eo committi ſolent, fugiat, vitetque.

An claram, dilucidam, ac diſtinctam rationem faciat.

An bene pronunciet.

An aliquos

An aliquos geſtus indecoros manibus, vel oris, ac corporis diſpoſitione committat.

An denique totam concionem apte, decore, & concinne, ad rei propoſitæ rationem recte accommodare ſciat. Ac multa alia inſuper perquiret, quæ locus, tempus, ac occaſio Viſitatori ſubminiſtrabunt, ſuggerentque.

---

## *Viſitatio quorumcunque Regularium. Cap. LXXXVIII.*

ET, vt hæc noſtra praxis viſitandi omnibus proſit, prout eſt omnibus neceſſaria, nos non pigebit aliqua interrogatoria ſummatim ſcribere, quæ valde Viſitatoribus, & officialibus regularium deſeruient. Cum munus, & officium Viſitatoris (prout ſupra diximus) in eo potiſſimum conſiſtere dignoſcatur. Quod ſi quæ vigent in Monaſterio ſcandala, & dedecora, vel peccata, radicitus euellant, vt omnes in eo exiſtentes munda omnipotenti Deo conſcientia deſeruiant. Nec tamẽ ad ſpecialem inquiſitionem alicuius certæ perſonæ deuenire debet, niſi aliquod crimen, priuſquam illud manifeſtetur, aut innoteſcat, vel pro ſceleris euidentia, aut per delationem aliorum in Viſitatione facienda clareſcat.

Nihilominus Viſitator exactiſſimam debet adhibere curam, vt mala detegantur propter ſcandalum, ad hoc, vt opportunis iuris remedijs curari poſſint. Atque ita Viſitator ex officio in Monaſterio, ſeu Conuentu inquirere debet, An in eo delicta vigeant, & ſuccreſcant. Interroget tamen in communi de omnibus.

Sed, antequam Viſitationem Monaſterii, ſeu Conuentus faciat, primo viſitabit Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ, Eccleſiam in eius corpore, Cappellas, & Altaria, & Sacriſtiam: in quibus viſitandis poterit vti methodo, prout ſupra docuimus c. 9. & ſequentibus.

Cum poſtea Viſitator voluerit viſitare monachos, ſeu fratres, ſingulis fratribus, ſiue monachis, qui ſunt de corpore Monaſterii, ſiue Conuentus, quem viſitat, ad ſonum campanæ, ac loco, & more ſolito congregatis, ſermonem faciat eis congruentem, negotiumque Viſitationis proponat.

Singuliſque de capitulo mandet in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis pœna, vt ipſi, omni mendacio remoto, veritatem dicant de ijs, quę ab ipſo interrogati erunt ſigillatim in ſecreto.

Ipſi quoque fratres teneantur veritatem dicere tam in ijs, de quibus ab ipſo Viſitatore interrogati fuerint, quam in alijs, quę contra Deum Omnipotentem, contra eius Diuina præcepta, & contra regulam eorum, ſub qua militantur, quę etiam contra doctrinam Euangelicam ſciuerint à monacho, vel fratre aliquo fuiſſe commiſſa, & alia in detrimentum Diuini cultus Monaſterij, & in ſcandalum religionis.

Vt autem de omnibus in Viſitatione perquirendis facilius eluceſcat, percunctetur Viſitator ipſe de omnibus Monacis, & fratribus illius Monaſterij, in quo viſitat, à tempore Capituli vſque tunc mutatis: quos etiam ſuo loco, & tempore de rebus illius Monaſterij, & Conuentus tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus examinare teneatur. Et, vt ad rem veniamus, poſtquam omnes congregatos fuerit allocutus, incipiat à minore, & à quo voluerit in ſecreto viſitare, omnia deſcribendo, Abbatem, Priorem, vel Guardianum in fine viſitabit, ad hoc, vt per alios fratres intelligat, etiam vitam, & adminiſtrationem officialium.

---

*Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ, & in Eccleſiis Sacriſtiæ viſitatio fiat; vt ſupra diximus c. 9.*

# MONASTERII SEV CONVENTVS VISITATIO.

## CAP. I.

PRIMO videat clauſtra, an ſint clauſa ex omni parte; ſi completa, munda, & commoda.

An portę ſint decentes, & clauſę teneantur, cum portinario.

An ibi bene verſetur à fratribus, & ab aliis.

An ibi mulieres verſentur. Caueant, niſi in proceſſionibus Roſarij, Conceptionis, & ſimilium.

An ibidem in Clauſtro ſint membra neceſſaria, vti Capitulum, & alia.

## *Dormitorium. Cap. II.*

DEINDE viſitet Dormitorium, per ordinem, hoc modo videlicet.

An ſcalæ ſint commodæ, lucidę, & an egeant refectione.

An in dormitorio in nocte ſemper lumen adſit.

An quęlibet cella habeat ianuã cum ſera, & claue.

An cellæ poſſint aperiri communi claui à ſuperiore, quoties ipſi placuerit.

An Monachi habeant in cellis capſas clauſas.

An in cellis aliquid prohibitum, vt figurę laſciuæ, libri laſciui, an ve citharas, & huius generis inſtrumenta detineant.

An ſine neceſſitate, & licentia paramenta, apparatus, & alia in cellis retineant prohibita.

An aliquid contra eorum regulas, ſub quibus militantur.

An aliquid proprium in cellis habeant.

An in cellis aliquid deficiat neceſſarinm pro fratribus.

An in cellis fratres detineant (vt decet) Imaginem Crucifixi, Beatiſſimæ Mariæ Virginis, & aliorum Sanctorum.

## *Bibliotheca. Cap. III.*

SI in Monaſterio, ſeu Conuentu adſit Bibliotheca pro communi fratrum ſtudio, illam viſitet hoc modo:

An libri ſint ad ſufficientiam pro ſtudio.

An habeant Indicem librorum ipſorum. ſi non eſt, mandet, vt fiat.

An ibi ſint libri prohibiti, ſeu profani, vel laſciui.

An debite cuſtodiantur.

Videat, ne à muribus comedantur.

An à puluere, & araneis excutiantur.

*Infirmaria.*

## Infirmaria. Cap. IV.

PROSEQVENDO Viſitationem ipſam, conuenit vt Infirmaria viſitetur, vbi eſt, & vbi non eſt; quomodo fratres infirmi tractentur, & gubernentur. & videat,

An cellę aptę pro infirmis ſint, humidę vel frigidæ.

An feneſtræ ipſarum vitreis, vel tela cera linita occludantur, ad arcendum frigus, & ventum.

An ibi ſint cubicula apta, & ſalubria pro infirmis.

An ibi ſint lecti ad ſufficientiam cum culcitris, linteolis, & debitis tegmentis.

An linteola, & puluinaria ſæpius mutentur munda.

An ibi ſint vaſa, ad Infirmorum curam ſufficientia, & neceſſaria.

An ſint in loco, qui curam infirmorum habeant.

An pro curandis ægrotis conductus ſit Medicus.

An ſiruppi, medicinæ, & reliqua ad Medicorum præceptum infirmis debitis temporibus miniſtrentur.

An cum charitate gubernentur, & ab omnibus fratribus viſitentur.

An infirmorum cura habeatur, & omnia neceſſaria eis cum charitate miniſtrentur, & præcipue Sanctiſſimũ Sacramentum Euchariſtię.

An agonizantes ab alijs fratribus adiuuentur ad bene moriendum.

## Hoſpitium. Cap. V.

PROSEQVATVR Viſitator Viſitationem ſuam iam cœptam, & diligenter viſitet Hoſpitium pro aduenis Fratribus, & alijs. Et videat primò,

An hoſpitium commodum ſit.

An cellæ Hoſpitij habeant neceſſaria pro hoſpitandis hoſpitibus, & aduenis.

An ipſum Hoſpitium omnia habeat linteola neceſſaria.

An ipsũ Hoſpitiũ ſeparatũ ſit à dormitorio, & clauſtro Monaſterij.

An

An omnibus hoſpitibus dent linteola linea munda, & alba, ad eorum vſum.

An ſit, qui curam habeat hoſpitum.

An cum charitate recipiantur, & tractentur.

An bene in ipſo ab Hoſpitibus verſetur.

---

## *Veſtiarium, ſiue Communitas. Cap. VI.*

AN in eo ſint veſtes ad ſufficientiam pro vſu fratrum.

An ipſæ veſtes bene conſeruentur.

An indumenta vetera ibidem conſeruentur, & cuſtodiantur.

An omnia, quę ibidem conſeruentur, ſint communia.

Mandet Viſitator, vt omnia ſupra dicta cum inuentario aſſignationis alias iam factę Abbati, Priori, vel Guardiano conſeruentur; & ſic viſitentur, & ſucceſſoribus conſignentur; &, ſi non ſit inuentarium, mandet, vt fiat. & videat diligenter Viſitator, an deſit aliquid de aſſignatis. deficientia vero mandet fieri, & prouideri, & vetera, ſiue inutilia refici, & reſtaurari, mandato in ſcriptis facto.

---

## *Refectorium. Cap. VII.*

AN Refectorium ſit commodum pro fratribus.

An ſint menſę ſufficientes, & ſedilia commoda.

An ſit locus pro lectione legenda.

An ſit locus pro lotione manuum cum mappis mundis.

An menſę habeat mantilia, oriſtergia ſufficientia, quę poſſint munda, & alba mutari.

An ſint cyathi, & vrceoli ad ſuggerendum vinum, & aquam, ad ſufficientiam, & mundi.

An omnia hęc bene in eorũ locis conſeruẽtur, & cõmode detineãtur.

## *Coquina. Cap. VIII.*

AN commoda ſit, & ne ſumo ſit affecta.
An habeat ſua ſupellectilia neceſſaria.
Videat, quę deſunt, & prouideat.
An ligna neceſſaria.
An coquus aptus, & mundus in ſuo exercitio.
An vaſa coquinaria munda conſeruentur, & ſana.

## *Cellarium, Promptuarium, & Horreum. Cap. IX.*

AN in Cellario ſit vinum pro potu fratrum; & videat quantitatem, & qualitatem, & deſcribat, & mandet prout ſibi videbitur.

An locus ſit aptus ad vinum, & dolia conſeruanda.

An dolia, & vaſa vinaria bene cuſtodiantur.

An vinum inertia,& negligentia officialium ſit corruptum.Prouideat,ne corrumpatur.

An in promptuario, ſiue caneua, vel vulgariter dicta diſpenſa, ſint mantilia manus, & oriſtergia, mappę, & ſimilia neceſſaria, & ſufficientia pro menſa fratrum; & quod illa mutentur.

An munda ibidem, & in loco optimo conſeruentur.

An ibi cyathi, vrceoli pro vino, & aqua, & ſimilia ſint ſufficientia. An iſtec omnia munda conſeruentur.

An in horreo ſint frumenta ſufficientia pro victu fratrum.

An bene, & optime ibi conſeruentur.

An habeant notam qualitatis.

An bene miniſtretur, & diſpenſetur.

Videat, & ſciat, quot modia ſint, & an ſint per annum ſufficientia Monaſterio, vel Conuentui.

Deinde

## *Deinde viſitet omnia loca Monaſterij, & videat ipſemet omnia ſigillatim. Cap. X.*

AN ſint ibi omnia pro qualitate loci neceſſaria & requiſita.

An ſint portę falſæ, (vt dicitur) per quas poſſint monachi, vel fratres, vel aliæ perſonæ intrare, & exire. Prohibeat omnino, ne ſint; ſed mandet, vt claudantur.

His peractis, ipſe Viſitator procedat ad ſingulorum fratrum examen, & viſitationem, requirendo prius, & inſpiciendo in communi ab omnibus.

An ſuperfluas, vel ſplendidas habeant veſtes, contra eorum regulam; & ſint vniformiter veſtiti.

## *Viſitatio particularis cuiuſcunque. Cap. XI.*

DEINDE Viſitator ipſe, in particulari, circa mores & vitam ipſorum, & cuiuslibet eorum, iuxta ſub ſequentium Interrogatoriorum continentiam interroget,

An Diuinũ Officium deuote, & diſtincte, ſine deriſu, aut, iocis,& colloquio,& nõ curſim celebretur.

An omnes diu noctuque attendant in Eccleſia ad Officium dicendum; & qui ſunt qui non ſurgunt, & quare.

An, qui Officium omittunt in Eccleſia, dicant ſeorſum.

An Officium in Eccleſia aliquod omittatur, tam Diuinum, quam Beatę Virginis, & ſanctorum, & fidelium defunctorum.

An Offi-

An Officium debitis horis dicatur.

An quotidie Miſſæ in Eccleſia celebrentur, & quot.

An ſæpius communicent, & peccata ſua confiteantur.

An mortui ordine debito, & cum officio, & orationibus ab Eccleſia ſtatutis ſepelliantur.

An deuote Miſſas celebrent.

An celebrauerint vnquã, vel ſciant aliquem celebraſſe duas Miſſas, vel abſque paramentis requiſitis, vel non ieiunum, vel illotis manibus, vel non confeſſum, vel non dicto Officio.

An aliquam negligentiam, vel malitiam commiſerint, ſeu negligentia, vel malitia aliquid omiſerint in Miſſa.

An celebrauit coram excommunicatis ſcienter.

An in Eccleſia ſolitis, & conſuetis cærimonijs vtantur.

An ipſorum aliquis excommunicatus, vel interdictus celebrauit.

An ſcienter dederit Euchariſtiam alicui excommunicato.

An celebrauit in Altari non conſecrato, vel cum Tabula non conſecrata, vel totaliter fracta, vel in Calice non conſecrato, & paramentis non benedictis.

An ſciant Officium diſponere, cantare, & legere, &c.

Quam ætatẽ habent ordinati, Diaconi, & Subdiaconi, & Sacerdotes.

Quandiu eſt, quod ſunt ordinati.

A quo Epiſcopo ſunt ordinati.

A quo licentiam habuerint ordines ſuſcipiendi.

An ante legitimam ætatem, vel ab Epiſcopo excommunicato, vel interdicto fuerunt ordinati.

An in Monaſterio ſint confeſſores deputati, & quot, & qui ſint illi; & de ipſis inquiratur, an ſciant audire Confeſſiones, & quem ordinem ſeruant in eis audiendis; & dando pænitentiam, an ſciant diſcernere inter peccatum mortale, & veniale; & quot ſint Peccata mortalia, Præcepta Legis, Articuli Fidei, Sacramenta Eccleſiæ, Opera Miſericordiæ, &c.

An omnes Breuiarium habeant.

An in Eccleſia pulſetur quotidie campana ad horas Canonicas dicendum, & Salutationem angelicam, de ſero, & mane.

Quot item ſint Clerici, & qui.

Quot item ſint Conuerſi.

Quot etiam fuerunt in præterito, & qui.

An ad Monaſterium cum mandato fuerint tranſmiſſi.

An, mandato aſſignato, recto tramite ad Monaſteriũ ſe trãſtulerint.

An aliqui a Monaſterio diſceſſerint, ſeu mutati fuerint, & vbi in præſenti commorentur.

An Monaci omnes ipſius Monaſterij ſint profeſſi regulam, ſub qua militant.

An aliqui de nouo profeſſi fuerint.

An aliqui de nouo ad congregationem ſint recepti, & qui, & à quo; & de eorum ætate, ſufficientia, & qualitatibus,

An nouitij ſimiliter, & profeſſi ſuum officium faciant.

An in Monaſterio ſit nouitiorum magiſter, & qui.

An nouitij regantur, & cuſtodiantur in Dei timore, & regulæ obſeruantia.

An cæteri fratres ſecundum regulam viuant.

An ſeruent ſilentium ſuo loco, & tempore.

An ſemper, & ſimul in Refectorio comedant, & cum lectione.

An omnes in dormitorio dormiant.

An bene, & ſemper geſtent Monachalem habitum.

An obſeruent ieiunia ſecundum Canones, & regularia inſtituta.

An ibi adſit aliquis vagabundus.

An in Monaſterio fiant aliqua indebite, & contra regulam, ſub qua militant.

An ibi fiant capitula frequenter; & quid in eis agatur,

An in menſa, vel dormitorio, vel veſtitu, ſit aliqua differentia, & acceptio inter eos.

An ſit ſatisfactum monacis, vel fratribus de pannis debitis, & tempore debito.

An portæ Monaſterij, ſeu Conuentus, & Eccleſiæ, debitis horis claudantur, & aperiantur.

An ſemel in menſe cellæ viſitentur ab Abbate, Priore; vel Guardiano.

An aliqui portent inter ſe odium, & qui.

An ſint aliqui proprietarij.

An Abbas, Prior, vel Guardianus bene tractet ſuos ſubditos opere, & ſermone.

An ſubditi debitum obſequium, & obedientiam præſtent ſuo Superiori.

An aliqui faciant ſortilegia, vel incantationes.

An aliqui male ſentiant de fide.

An fama volet, & vox contra aliquem de incontinentia, furto, praua conuerſatione, inhoneſta, ac turpi vita.

An omnes incedant cum decenti habitu, & tonſura ſociati.

An perſonæ aliquæ ſuſpectæ, vel contra honeſtatem religionis, Monaſterium, ſeu Conuentum ingrediantur.

An ſciant aliquem eſſe excommunicatum.

An aliquis

An aliquis eorum exerceat negotia ſæcularia, vel mercaturam, vel vſuras, & alios contractus illicitos, vel exigat vectigalia, ſeu alia onera ſæcularia.

An ibi ſint aleatores, vel alicuius ludi prohibiti luſores.

An mechanicis artibus incumbant.

An aliquis ſoleat ſe vino, vel crapula ingurgitare.

An aliquis ſit impudicus re, & verbis, vel conſuetudinem habeat cum impudicis perſonis, vel cum ſcurris, graſſatoribus, & his ſimilibus.

An ſint aliqui ex ipſis blaſphemi, vel conſpiratores.

An in Monaſterio excipiantur banniti.

An admittantur, vel ſint admiſſi aliqui conuerſi, vel monaci, ſeu fratres. per ſimoniam, vel aliqua fiant, vel concedantur.

An aliquis ſit concubinarius, vel habeat filios illegitimos.

An aliquis eorum frequentet Monaſteria monialium.

An aliquis ſit rixoſus, vel contentioſus.

An aliquis ſit contemptor regulæ, & inſtitutorum noſtrorum.

An in locis, vbi ſtudia retinentur, ſint ſtudentes in numero ſufficienti, an ſint in lectionibus aſſidui, an ſint nimis elati, vel ſuperbi, an in horis, quibus tenentur, Officium, & Eccleſiam frequentent; an ſit in Monaſterio, ſeu Conuentu, Lector Catholicus, qui eis lectiones exponat, binas ſaltem ſingulis diebus, aut etiam ternas; & an ſæpius in diſputationibus cum ſtudentibus ſe exerceat; & an monacis, ſeu fratribus, qui ſtudentes non ſunt, exponantur Caſus conſcientiæ, regulæ, & Patrum Congregationis,

An Prælatus vitam, & conuerſationem honeſtam agat,

An, quæ ad obſeruationem ordinis, & religionis pertinent, diligenter perſequatur, & in exequenda regula, & ſtatutis ordinis feruens conſpiciatur.

An eandem regulam ad Chriſtianam pietatem, & æquitatem pro ratione perſonarum, & aliarum circunſtantiarum moderetur, vt lem per primatum obtineat fraterna charitas, & magis ſpectetur in omni opere pietas, quam exercitatio corporalis.

Num ſæpe ex Monaſterio diſcedens alio proficiſcatur, & extra illud habitationem ſuam conſtituat, vel diu commoretur.

An pacem, tranquillitatem, & concordiam inter omnes ſibi ſubiectos nutriat, & conſeruet.

An fratres ad ſtudia ſacrarum litterarum, & meditationes inuitet.

An communiter conuiuant cum fratribus, ſeu monacis in menſa communi.

Num ſuperfluos, & vanos faciat ſumptus.

R 2 An fami-

An familiam ſuperfluam, vel equos ad faſtum, & pompam Principum more nutriat.

An ſua negligentia fratres, vel monaci vitam laxiorem ducant.

An ſæpius, quam expediat, exeundi monacis, vel fratribus licentiam concedat.

An vitia intrepide, & amice corrigat. ſine perſonarum delectu.

An inſtrumenta, & iura, & priuilegia conſeruet.

Quot, & quæ officia ſint in Monaſterio, & qui ſint officiales, & de ipſorum ſufficientia, condicionibus, vita, & moribus, & conuerſatione.

An ſint officiales omnes ſecundum cōſtitutiones, & reformationes.

An Monaſterium, ſeu Conuentus magno ære alieno ſit obſtrictum & cui, vel quibus, in qua ſumma; & de cauſis eorundum debitorum.

An aliqua bona Monaſterij, ſeu conuentus, & Eccleſiæ, ſeu etiam Sacriſtiæ, mobilia, vel immobilia, vel ſeſe mouentiā ſint pignorata, vel alienata, & cui, & pro quanto, & à quibus, & qua de cauſa.

An locationes domorum, terrarum &c. fiant fideliter, ſine fraude, & damno Eccleſiæ.

An Abbas, Prior, vel Guardianus manuteneat, & conſeruet bene Monaſterij, ſeu Conuentus.

An ſtudeat proceſſiones ſieri, vt decet.

An Abbas, Prior, vel Guardianus bene defendat iura Monaſterij, ſeu Conuentus.

An prouentus conuertatur in vſum, & neceſſitates Monaſterij, ſeu Conuentus, & vtilitatem monacorum, vel fratrum.

Ad quam ſummam aſcendant prouentus Monaſterii, ſeu Conuētus Quot perſonæ poſſunt ex illis ali, ſi recte adminiſtrentur.

An eleemoſynæ iuxta Monaſteri, ſeu Conuentus facultatem pauperibus erogentur.

An maior numerus monacorum, vel fratrum poſſet eſſe, & commode viuere in Monaſterio, ſeu Conuentu, ſecundum facultates.

An in aliquo anno ſuperſint aliqui redditus, & quid fiat de illis.

An aliqua cognoſcant reformanda, & corrigenda eſſe in temporalibus pro conſeruatione bonorum, & vtilitate Monaſterij, ſeu Conuentus.

Poſt hæc inſpiciant libros computorum tam in introitu, quam in exitu, earumque depoſitiones diligenter examinent, & attendant, an deficiant in introitu, & an ſuperfluæ ſint in exitu.

Poſtquā Viſitator in viſitatione ſecreta ſingulorum audierit eorum depoſitiones, & ſcripta viderit, & bene viderit, & conſiderauerit pro imponendis ſingulis pœnitentijs; ſi ſibi videbitur, &. placuerit, ſeruare

ſeruare poterit methodum per nos ſupra traditam, [a] vel ſecundum eorum conſtitutiones, & conſuetudines, & ex dictis fratrum, vel monacorum audiet vitam, & bonum regimen, vel malum ſuperiorum, vel officialium Monaſterij, & Conuentus; vt poſſit Canonice prouidere. a c.81.

Animaduertat etiam Viſitator, quod, ſi monaci, vel fratres, ſic & etiam Moniales habuerint Eccleſiam aliquam curatam, tenentur curatum, ſiue regularem, ſiue ſecularem preſentare Epiſcopo, in cuius Diœceſi Eccleſia fuerit: qui antequam inſtituatur, debet ab Epiſcopo examinari, & inſtitui, à quo etiam, ſi regularis fuerit, poterit corrigi, viſitari, & puniri, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, iuxta decreta Sacroſancti [b] Concilij Tridẽtini. in quibus caſibus dicta decreta ſunt ſeruanda: &, quando Epiſcopus dictos Parochos regulares viſitare voluerit, ipſos interroget, prout ſupra docuimus in viſitatione Archipresbyteri, [c] vel Parochi. b Seſſ.7.c.14 & ſeſſ.25.c.11 c c.27.

---

## Viſitatio Monaſterij Sancti monialium. Cap. LXXXIX.

VBI maius vertitur periculum, [d] ibi cautius eſt agendum. & quid charius, & acceptius Deo eſſe poteſt, quam virginitas, eo magis, quando cum humilitate annexa eſt? & propterea Sancta Mater Eccleſia virginitatem cum humilitate admiratur: & quotidie in Eccleſia legitur de beata Virgine, Quia reſpexit humilitatem ancillę [e] ſuæ. Spõſæ. n. Ieſu Chriſti Domini noſtri ſunt, quæ ſponſum ſuum ſequuntur, quocunque ierit, cum hymnis, laudibus maximis, & canticis. Ideo Epiſcopus cum maxima cautela agere debet in hac Sancta Viſitatione ſponſarum Chriſti: & diligenti perſcrutatione inquirendum eſt, an quid inductum ſit in earum diſciplinam, quod non pium, & Sacroſanctũ videatur, & dicatur, & ſit, cum Deo vero, & nõ hominibus deſponſatæ ſint; & ideo nihil eis proponi, & dici debet, niſi quomodo Deo earum ſponſo placere poſſint. d c. vbi de lect. lib. 66. e Cant. Beat. Virg. Mariæ.

Primum Viſitator animaduertat, & diligenter videat clauſuram Monaſterij, curetq. vt ſit iuxta decreta Sacroſ. C. T. etiã ſi Monaſteria

ſint

ſint exempta etiam regularium. nam quoad clauſuram ſunt ſubdita
a ſ.c.5 Ordinarijs locorum virtute decretorum dicti Sacroſancti Concilij Tridentini, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis. Mandetque, quod nemini liceat Moniales alloqui abſque licentia Epiſcopi, vel eius Vicarij in ſcriptis obtenta, curetque, quando extranei, citra patrem, matrem, fratres, & ſorores, illas alloquantur, vt ſit cum præſentia Confeſſoris, ſiue Cappellani, ab extra, & intus cum præſentia auſcultatricis; prout honorifice, & bene hoc obſeruari facimus in noſtro Monaſterio Andrienſi.

Deinde Viſitationem proſequendo, ſi neceſſarium eſſe iudicauerit; conferat ſe ad Eccleſiam vnà cum collegis, procuratoribus, Confeſſore Monaſterij, & Notario; & facta oratione more ſolito, celebret ipſe Viſitator, vel Miſſam audiat; poſtea viſitet primum Eccleſiam Monaſterij, & Cappellas ipſius, vt ſupra dictum eſt in viſitatione
b cap. Eccleſiarum [b]. In quo animaduertat, ne Moniales Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ in choro ſeruent, vbi Diuinis Officijs vacant, ſed in Eccleſia ſuper Altare maius: quod etiam viſitabit, prout ſupra di-
c cap. ctum [c] eſt.

Sacriſtia, ſi eſt in Eccleſia, pariter & paramenta Eccleſiæ, eo ordi-
d cap. ne, quo ſupra [d] docuimus, erunt viſitanda. Si autem Sacriſtia eſt intra ſepta, & clauſuram Monaſterij, ipſam viſitabit, quando clauſuram ingreſſus fuerit.

Deinde, Eccleſiæ viſitatione peracta, cùm ſe viſitationi Monaſterij, Abbatiſſæ, & Monialium accinget, Monaſterij clauſuram intrabit ipſe Viſitator, & ſecum ducet duos coaſſumptos ſeniores, & probatiſſimæ vitę, & earundem Monialium Confeſſorem, & Notarium, &, quanto citius poterit, ſe expediat, nec ibi diutius commorabitur.

Cum verò clauſura ipſa aperta fuerit in ingreſſu Viſitatoris, intus ianuam ibi inueniet Abbatiſſam, & Moniales, quæ reuerenter ipſum recipient, cum reuerentia, capitis inclinatione; & poſtea Crucem præcedentem ſecundum eorum gradus, ipſæ ſubſequentes, proceſſionaliter Viſitatorem deducunt in dormitorio earum, vel refectorio; vbi commodius poterunt permanere, cantando, vel legendo hymnū, Veni creator ſpiritus.

Ibidem, ſi Altare, & Imago Crucifixi, vel aliorum Sanctorum in capite dormitorij fuerint, facta oratione, audita Abbatiſſa, & omnibus, quibus Monaſterium eget, incipiet cum omni celeritate viſitare Monaſterium, & omnia eius membra; prout ſupra docuimus in viſitatione regularium, cap. 88.

Atque, cùm primum Viſitator membra omnia Monaſterij viſitauerit, Abbatiſſa det illico indicem, ſeu notam omnium Monialium, in

qua

qua ſcribantur, ac notentur diligenter nomina, cognomina, & ætates omnium, ac quę profeſſæ, quæ ve non profeſſæ fuerint; quin etiam aliarum virginum, quæ ibidem ſunt pro earum ſeruitio, notam ſibi exhibendam ab eadem Abbatiſſa curabit Viſitator.

Det etiam Abbatiſſa notam Viſitatori aliquarum ſororum inſignis virtutis, vel prętogatiuę in Monaſterio, vt eas debito honore afficere poſſit, ac earum exemplo reliquas ad virtutem inflammare; delicta quoque, & crimina, ſi qua ibi vigent, inſinuet, ac detegat; & tandem omnium bonorum, vel malorum morum, qui ibidem obſeruantur, eum certiorem faciat; vt ſingulis opportuna remedia adhibere poſſit.

Interroget Abbatiſſam, an habeat extra Monaſterium aliquas conuerſas, vt vacent pro ſeruitijs, vel quæſtuationibus Monialium, & det notam illarum.

Det etiam notam Presbyterorum, virorum, & officialium, qui dicto Monaſterio ab extra inſeruiunt, & eorum, qui curã habeant clauſurę, Confeſſariorum, Cappellanorum, Medicorum, & ſimilium; quos omnes videat, ac curet Viſitator, vt viri boni ſint, & vitę integritate, & morum ſuauitate cæteris antecellant.

Videat etiam, quibus ex cauſis, & quando liceat eis ingredi ſepta Monaſterij, iuxta decreta Sacroſancti Concilij Trident. ſeſſ. 25. c. prę allegato, & per totam ſeſſ.

Perquirat, quomodo, & quo ordine puellas admittat, & an habeat ſtatuta, & conſtitutiones particulares ipſius Monaſterij, quas ſibi exhibendas curabit; videbitque diligenter, an ſint ſanctę, & iuſtę, & ſecundum decreta Patrum.

Videat etiam Viſitator, & perquirat, an Moniales e Monaſterio exeant, vel exire cupiant; & in hoc obſeruentur Conſtitutiones felic. recordation. Pij V. & Gregorij xiij.

Perquirat, an obſeruetur regula, ſub qua militant.

An viuant in communi, & in vna menſa. quod fieri, & obſeruari præcipiat.

An omnes Moniales in vno dormitorio dormiant, an ſolæ; nec permittat duas, aut plures ſimul in eodem lectulo permanere, ſed ſeparatim ſingulas in ſuo lectulo quieſcere iubeat, & in vno, eodemque dormitorio, lampadibus ſemper accenſis de nocte, vel ſaltem vna non deficiat.

An ſit Infirmaria, & qualis debeat eſſe. Videat ſupra in Viſitatione regularium.

An ſit locus nouitiarum ſeparatus à profeſſis. ſi non ſit, iubeat fieri.

Quæ ſint inter eas rixoſæ, & inobedientes.

An

An ſciant bene legere, & recitare horas Canonicas.

Si die, vel nocte communi orationi mentali vacent.

An bene in Choro verſentur.

An commode ibi maneant, & an habeant libros neceſſarios.

Quot, & quæ ſint profeſſæ, & velatæ.

Et quę ſunt habētes debitam ętatem, videlicet profeſſionis 16. annorum, & velationis 25. quæ aptę, & idoneæ ſunt, profiteantur, & velentur.

a Seſſ. 25. c. 15. An in profeſſione facienda obſeruentur decreta Sacroſancti Concilij Tridentini, & eorum conſtitutiones.

An in Monaſterio ſit carcer pro criminibus ſororum multandis. ſi non ſit, fiat.

An Monaſterium habeat omnia membra, & requiſita, & commoda. & ſuper hoc bene aduertat.

An ſæpe confiteantur, & ſumant Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ.

An ſint in Monaſterio ſorores', quæ habeant curam Rotæ, Portæ, Chori, Sacriſtiæ, & ſimilium. ſi non ſint, curet Viſitator, vt omnino inſtituantur.

An ſint aliqui, qui habeant facultatem a Sancta Sede Apoſtolica ingrediendi Monaſterium. exhibeant. Si habent, admittant: cæteris omnibus prohibeat, neceſſitate excepta.

Quæ dos ſoluatur à Moniali ingrediente Monaſterium.

b Seſſ. 25. ca. 17. An, priuſquam puellæ ingrediantur, exploretur earum voluntas ab Epiſcopo, vel Generali Vicario, iuxta decreta Sacroſancti [b] Concilij Tridentini.

An pecunia dotis bene applicatur in beneficium Monaſterij, & tuto ſeruetur, vel erogetur.

Det Abbatiſſa inuentarium bonorum omnium, & actionum, rerum mobilium, & ſtabilium ipſius Monaſterij.

Videat, an bene cenſus, ſiue introitus miniſtretur.

An fideliter, & cum integritate a Procuratoribus tractetur.

An reddant Procuratores, & Rectores quolibet anno rationem adminiſtrationis ſuæ. ſi non reddant, compellantur ad id præſtandum.

An habeat alias portas extra ordinariam. mandet, vt claudantur lapidibus, & cæmentis, nec feneſtellam aliquam permittat apertam.

An ſit in Monaſterio ludi magiſtra, ſeu ſcholæ præfecta, quæ Latine in rudimentis Gramatices. inſtituat iuniores virgines, & an educat eas ad pietatem, & religionem, & quænam rudimenta tradat, & quos libellos pios rudioribus virginibus perlegat, & exponat.

An etiam

An etiam in Vigilijs dierum feſtorum, & in ipſis diebus feſtis exponat ſuis virginibus hymnos, ſequentiam Epiſtolam, & Euangelium Dei, & an ad literam ſaltem ſciat exponere Pſalterium.

Quibus libellis vel ad proficiendum in ſpiritu, vel ad precandum Deum virgines vtantur. qui ſunt inſpiciendi ſimul cum libris, quibus vtuntur in Diuinis Officijs.

An habeant concionatorem aliquem, virum grauem, Catholicum, à quo audiant verbum Dei in diebus ſaltem feſtis.

Et an idem, vel alius non minori grauitate, integritate, & prudentia audiat eorum Confeſſiones.

An is ex iuſta virginibus petentibus cauſa concedat, vt alicui alij prudenti, & pio Sacerdoti confiteri peccata ſua poſſint.

An ſuis temporibus, iuxta regulę præſcriptum, communicent.

Quærendum de Eccleſijs incorporatis, ſi quas habeant.

An pateant virorum conſpectui, ſeu permittant illos Monaſterium ingredi. dempta ineuitabili neceſſitatis cauſa.

An habeant picturas non honeſtas in ſuis cubiculis, & ſæcularibus potius conuenientes.

An conuerſationem aliquam ſuſpectam habeant cum externis.

An permittatur eis literas accipere, vel dare extra Monaſterium, quas non prius legat Abbatiſſa, vel illa, cui regimen Monaſterij incumbit.

An illis permittatur cum extraneis priuata colloquia habere, & ſuis vti diuerticulis.

Quibus artificiolis tempus, quod ſupereſt à ſacris lectionibus, precibus, & contemplationibus Diuinis, impendant.

An ſint aliquę, quæ diſſidia, rixas, & contentiones excitent, an ſint iracundæ, inuidæ, odij tenaces, contumelioſæ, & dicaces, ſeu mēdaces.

Interrogandum eſt, vt ſupra de Monacis dictum eſt, de obedientia, & paupertate; an quid proprium poſſideant, & de cōtinentiæ cuſtodia.

De menſa communi, quis, ac qualis victus ſingulis quibuſque tēporibus præbeatur; & an propter hoc verſentur querimonię inter ipſas.

An ſint, quæ ſtultam aliquam ſuperſtitionem teneant. quibus eripiendus eſt hic error, inflammandæque ſunt aduerſum Dei cultum, ac ipſius charitatem.

An habitus nouitiarum, & profeſſarum ſit diſtinctus.

An nutriant canes, vel aues.

An fiant ieiunia debitis temporibus à Sancta Eccleſia ſtatutis.

An ſit aliqua, quę Muſicis inſtrumentis vtatur.

Videat, quod feneſtella cum crate ferrea, quæ eſt in Parlatorio vulgariter dicto, ex parte interiori ſit tela nigra appoſita, quod Monia-

les nõ videãt ipſas alloquẽtes, vel lamina perforata, vt vox audiatur, & facies nõ videatur ſic etiã apponatur tela ĩ Cãcellis Chori, ſeu zeloſijs.

Et, quando fit hæc viſitatio prædicta à Viſitatore, ſint omnes Moniales in refectorio, vel alio loco publico, & commode congregatæ in vnum, quæ ſtent cum omni humilitate, honeſtate, ac debita reuerentia, vt Virgines, & Chriſti ſponſas decet.

Deinde, his omnibus peractis, & toto Monaſterio, & eius membris bene viſis, & luſtratis, ibidem aſtantibus omnibus Coaſſumptis, Confeſſore, Notario, Abbatiſſa, & Monialibus, ipſo Viſitatore in eodem loco conſpicuo ſed ſegregato ab ipſis, taliter, quod videantur, & non poſſint audiri, ſedente, accedentes; & ſingulæ Moniales, vna poſt vnam, incipiendo a minore vſque ad maiorem, & in fine Officiales, & poſtremo Abbatiſſa, quæ, facta reuerentia Altari, ſi ibidem erit, uel Imagini, & poſtea Viſitatori, & oſculata eius manu, (ſi fuerit Epiſcopus) dicat quælibet, quidquid ei occurrat in ſecreto, dicto Viſitatori, aſcultanti; qui, faciem eius auertens ab ea, audiet quidquid dixerit de Abbatiſſa, de Officialibus, Monialibus, Confeſſore, Procuratoribus, & quidquid pro beneficio Monaſterii, & ſalute animarum, & ſuis particularibus neceſſitatibus occurrerit; &, ſi habuerit aliquem caſum reſeruatum, poterit obtinere abſolutionem; & ipſe Viſitator ab vnaquaque perquiret, quomodo ſe gerant Abbatiſſa, & aliæ Officiales ſorores, circa earum officium. ſic etiam Procuratores, Confeſſores, & Cappellani, & alij Officiales externi circa adminiſtrationem bonorum ipſius Monaſterij, & ipſe Viſitator omnia notabit, vt poſſit omnibus prouidere. Ex quibus omnibus ipſe Viſitator bene informatus erit, vt poſſit in fine de omnibus prædictis interrogare, & corrigere Abbatiſſam in ſecreto, vt ſupra, & alias Officiales, & prouidere per decreta proferenda, prout ſibi iuſtum videbitur.

Quibus peractis, & omnibus bene ab ipſo, & Notario notatis, ipſe Viſitator prædictas Moniales grauibus verbis alloquatur, eas ad bene, pie, ſanctéque viuendum exhortans, vt Sponſas Ieſu Chriſti decet, & prout Spiritus ſanctus ipſum docuerit.

Facta eis benedictione, faciat omnes, quos ipſe introduxit, præcedere: ipſe, & Confeſſor ſubſequantur eos, & vltimus ipſe Viſitator exeat, & mandet clauſuram claudi, & ab extra, & ab intus. Aduertens, quod in clauſura ſint ad minus ab extra duæ claues à probatis viris detentæ, & vna ab intus, quæ ab Abbatiſſa teneatur. Poſtea eius decreta, quæ proferri debent in Viſitatione prædicti Monaſterij, in libro Viſitationis deſcribere faciat à Notario, & proferat, ac ipſis Abbatiſſæ, & Monialibus eorum copiam tranſmittat, ad hoc, vt ſciant, quid ab eis, & procuratoribus earum pro Diuino cultu, & Dei ſeruitio, ac Mo

naſterij

naſterij beneficio, & neceſſitatibus exequendum erit. quę omnia diligenter exequi mandabit.

Et, quia in ciuitate Andriæ erat cœptum ædificari Monaſterium Monialium, quod viginti annorum ſpatio non potuerat perfici, tandemq; Deo adiuuante ad optatum finem primo Epiſcopatus noſtri anno fœliciter perductum fuit: Nos, vt Diuinus in eo cultus rite ageretur, ac vt Monaſterij illius vtilitati conſuleremus, quaſdam Conſtitutiones, & ordinationes patria lingua pro Monialium intelligentia cōſcriptas, ab eiuſdem Monaſterij Abbatiſſa, & Monialibus, Confeſſore, Cappellano, & Procuratoribus ſeruandas præſcripſimus, ac addidimus. Quæ quoniam Viſitatori, & Ordinarijs locorum plurimum vtilitatis afferre poſſunt, vt ex illarum met ſerie quilibet perſpicere poterit, non inutile fore exiſtimauimus, nec ab inſtituto noſtro alienum, eas hic ſubtexere, ac huic noſtro Operi inſerere: videlicet.

# ORDINATIONI, ET CONSTITVTIONI

*fatte, et ordinate dal molto Ill. et Reũ. Luc'Antonio Reſta, Veſcouo della Città d'Andria, da oſſeruarſi inuiolabilmente dalla R. Abbadeſſa, et Monache, nel nuouo Monaſterio dell'ord. di S. Benedetto, fondato in queſta Città, ſotto il nome, et inuocatione della S. Trinità et S. Ricardo; et così anco da tutti & qual ſi voglia miniſtri di detto Monaſterio, & altre perſone, li quali ci hauueranno che fare, & trattare, vt infra.*

*Cap. XC.*

---

## *Del Diuin'Officio. Cap. I.*

ORDINIAMO, che tutte le Suore interuengano in Choro al Diuin' Officio così di giorno, com'anco di notte, fatto il primo ſegno; & la Badeſſa habbia diligentiſſima cura, che detto Officio ſi reciti ad agio, con deuotione, ad hore, & tempi deputati, & ciaſcheduna Suora ſia obligata leuarſi, & andare al Matutino, & a tutte l'hore Canoniche, ſe già non foſſe inferma, ò legitimamente impedita, ouero, che foſſe d'età di ſeſſant'anni, & in tal caſo ci rimettiamo alla conſcienza di eſſa Badeſſa, dandole auttorità, che poſſia con tali diſpenſare. Et, chi ſarà negli-

negligente al Diuin'Officio, per la prima volta dirà in refettorio cinque Pater noſter & cinque Aue Marie. Per la ſeconda farà la diſciplina in communità. Per la terza ſtarà ſenza pietanza. & per tutte l'altre, che farà conſuetudinaria, per ciaſcheduna mangierà in terra in refettorio.

2 Non ardirà Suor'alcuna, mentre ſi dice il Diuino Officio, ò s'aſcolta la Meſſa, ragionare, ridere, & burlare, ò far'altre coſe inconuenienti; & niuna ſi partirà dal Diuin'Officio, ò Meſſa, ſe non per vrgentiſſima cauſa, & con licenza della Badeſſa, eſſendo preſente, &, quando non vi foſſe, della Vicaria, ò di chi precede in Choro.

3 Et ciaſcheduna ſenza replica farà l'Officio in Choro, che le ſarà impoſto da chi particolare haurà queſta cura, & niſſuna ſi ritiri à dietro, con dire, Non tocca à me; e, chi contrafarà à quanto ſi è detto, dirà per ogni volta la colpa in publico refettorio.

4 Siano ſollecite le Suore vn'hora almeno in far oratione, & ſpendaſi ogni giorno da ciaſcuna delle Suore vn'hora almeno in far oratione mentale chi ſaprà farla, ò almeno vocale, dicendo Corona, ò Roſario, ò Salterio, ò Sette Salmi, ò Officio di Morti, ſecondo la deuotione di ciaſcuna, nell'hora della mattina inanzi l'hore Canoniche del Choro, ò dopò dette hore, non potendoſi prima; & per vn quarto auanti di andare à letto ſi ſoni la campanella all'eſame della conſcienza, che ſi habbia à fare da tutte nel dormitorio, ciaſcuna auanti l'Imagine poſta preſſo al ſuo letto.

5 Il Canto del Choro hà da eſſer ſemplice, & vniforme, & vniſono, diſtintamente, & con deuotione detto; & niſſuna impari di cantare canto fermo, ne figurato; ne ſi vſi canto fermo, ne figurato ſenza licenza.

## *Della Confeſſione, & Communione. Cap. II.*

1 ORDINIAMO, che tutte le Suore debbano con-
feſſarſi, & communicarſi ogni Domenica, & non la-
ſcino di confeſſarſi, & communicarſi nelli giorni,
2 ch'ordina la lor Regola, & di S.Benedetto.
Commandiamo anco, che in quei giorni, che ſi fa-
rà la Communione, niuna delle Suore priuate s'accoſti à parlare con

niuna

niuna perſona ſecolare à crata, ò ruota, ſe non dopò il veſpero, & queſto per vrgente cauſa, ſotto pena, ſe andaſſero in detti giorni a parlare nell'hore, & tempi vietati, d'eſſer priue per un meſe d'accoſtarſi à crata, ò ruota, & le Ruotaie, che le chiamaſſero, d'eſſer priue di lor officij, & la Badeſſa, che lo permetteſſe, d'eſſer dal ſuo officio ſoſpeſa ad arbitrio noſtro,

3 Debbano le Badeſſe, tutte volte, che non ſarà aſſegnato loro il Cōfeſſore ſtraordinario, chiederlo da loro, due, ò tre volte l'anno, ſecondo l'ordine del Concilio di Trento; [a] & tutte le Suore ſiano tenute andar da detto Confeſſore ſtraordinario, etiam quelle, che non ſi voleſſero confeſſare; & le Badeſſe, ò Vicarie ſaranno ſempre le prime, per dar animo à tutte l'altre. Et in quel tempo, che detti Confeſſori ſtraordinarij v'anderanno; gli ordinarij Confeſſori per modo alcuno non ſi accoſteranno al Monaſterio; & il Confeſſore ſtraordinario hà da eſſer vn Padre della compagnia del Giesù, potendoſi hauere da Bari, ò dalla Cirignola, ò almeno alcuno delli Preti ben'inſtrutti di Biſceglia, ò, non potendoſi, qualch'altro Padre di buona qualità, ad arbitrio dell'Ordinario.

a Seſſ.25.c.10

4 E, s'alcuna Suora noſtra in articolo di morte dimanderà altro Cōfeſſore, ordiniamo gli ſia conceſſo, pur che quello, che chiederà, ſia ſtato altre volte Confeſſore d'alcun Monaſterio, ò almeno ſia frate graue, e maturo, alquale per la preſente Conſtitutione gli ſia conceſſo co'l Confeſſore ordinario, ò co'l compagno, entrare à confeſſarla, &, incontinente, che l'harà confeſſata in loco patente, & honeſto, talmente, che poſſa eſſer veduto dal compagno, & da due Suore vecchie, ſe ne vſcirà dal Monaſterio.

---

## *Dell'officio, & auctorità della Badeſſa. Cap. III.*

ORDINIAMO, & commandiamo, che la creatione, & elettione della Badeſſa ſi faccia ogn'anno, ſecondo l'ordine di Nicolò Quinto Pontefice, ilqual vuol, che ſubito finito, & compito l'anno, ſia tenuta la Badeſſa ſotto pena di ſcommunica Papale, da incorrerſi in quell'inſtante, di renonciare il ſuo Officio; & detta elettione ſi farà alle crate,

etate,come vuole il Concilio Tridentino,[a] per ſcrutinio & voci ſecrete; & non potrà eſſer'eletta alcuna di menor'età di quarant'anni, & che otto anni ſia ſtata profeſſa nella ſua regola co'l timor di Dio. potrà detta Badeſſa,dopò finito il primo anno, & raſſegnato l'Vfficio, di nuouo eſſer rieletta,& così per lo ſecondo per ſcrutinio,come di ſopra, talmente, che non procederà oltre di tre anni, nè potrà di nouo eſſer rieletta, ſenon dopò d'vna elettione, almeno d'vn'altra. a Seſſ.25.c.7.

2 Non mancherà la Badeſſa, come Madre commune, mandare le coſe vguali, però con religioſa diſcretione, conſiderando il biſogno delle perſone particolari,trattando,in quel che concerne l'vfficio ſuo, tutte le Suore ad vn modo, ſecondo la giuſtitia, & egualità frà di loro, ne perſeguitando più vna che vn'altra per ſue paſsioni, ò particolar affettione, ſotto pena d'eſſer ſoſpeſſa dall'Vfficio.

3 In oltre, ordiniamo,che detta Badeſſa conuenga continuamente al Choro, & al refettorio, ſe ella non foſſe inferma, come vuole la ſua profeſſione. ſia nel commandare benigna, nel riprender, ſollecita, & zelante, nel penitentiare le ſue figliuole giuſta,& ſeuera,& nel prouedere à biſogni, & occorrenze del Monaſterio diligente.

## *Della Vicaria. Cap. IV.*

PERCHE ſuole ſpeſſe volte accadere,che la Badeſſa per le cotidiane, & continue occupationi, che occorrono nel gouerno,ò per la grau'età, ò infermità non poſſa conuenire, & eſſer ſollecita in attendere, che le Suore viuano con quell'oſſeruanze, che deuono; ordiniamo, che in ogni Monaſterio, dopò l'elettione della Badeſſa, debbaſi eleggere con l'iſteſſo modo per voti ſecreti vna Vicaria, delle più zelanti, & diligenti,dal Monaſterio, & potrà anco lei continuare nel ſuo Vfficio per tre anni, come ſi è detto della Badeſſa.

2 L'Vfficio della Vicaria è d'interuenire, & di trouarſi ſempre in Choro, & in refettorio con le Suore, & far l'officio proprio della Badeſſa, quando eſſa però foſſe aſſente, o inferma; & vogliamo, che ſia obedita, & reuerita, la prima dopò detta Badeſſa, alla quale s'è dato queſto aiuto della Vicaria, non per far due capi, ma perch'ella ſop-

pliſca a tutto quel, che la Badeſſa non poteſſe; & queſto, acciò che vna di loro almeno ſoppliſca ſempre, & ſi troui preſente.

## *Delle Diſcrete. Cap. V.*

ACCIO che il gouerno del Monaſterio proceda regolatamente, & con ordine, commandiamo, che capitolarmēte ſi eleggano ogni anno per ſeruitio ſecreto, come ſi e detto della Vicaria, quattro, ouero più Suore, ſecondo la conſuetudine di ciaſchedun Monaſterio, le quali debbano eſſere delle più diligēti & zelanti dell'honor di Dio. queſte Madri, & Suore, ſi chiameranno Diſcrete; & ſenza l'interuento loro, la Superiore non potrà fare coſa alcuna d'importanza pertinente al Monaſterio, & alla diſpoſitione del viuer commune, & laudabile conſuetudine; & non ſi farà mai contratto di compra, ò vendita, di locationi, & liberationi, ò altro d'importanza, oltre il conſeglio delle dette diſcrete, ſenza il conſenſo, & voto di due terzi del Monaſterio, & aſſenſo, & beneplacito noſtro.

2 Et, perche ſpeſſe volte dalli Capi procedono i beni, & i mali, acciò che la Badeſſa, & Vicaria, & altre Officiali ſiano ſempre Canonicamente elette, commandiamo, che in ſimil'elettione niuna Suora habbia ardire di far prattiche, nè fauorire per amicitia, ò parentela, ò commodo particolare, più vna, che vn'altra, nè vſar fraude, ò particolarità nell'eleggere, ſotto pena di priuatione di voce attiua, & paſſiua per tre anni.

## *Delle Portinaie, & Ruotaie.* *Cap. VI.*

PERCHE molti ſcandali naſcono ne'Monaſterij, per molti ciarlamenti, & nouelle, che per lettere, & ambaſciate eſcono, ò entrano nel Monaſterio, & per vani ragionamenti, che ſi fanno, con cagione di molti mali, oltre la perdita del tempo, che ſi fà, ordiniamo, ch'ogn'anno ſi debbano eleggere tre, ouero più ò meno, ſecondo il coſtume de i Monaſterij, le quali ſaranno chiamate Ruotaie, ò Portinaie, & à tali ſi ſpetterà riſpondere à chi viene per parlare alle Suore. Et prima, chi vorrà parlare con qualche Suora, lo interrogheranno con qual Suora egli voglia parlare, & non faranno mai ambaſciata à Suora alcuna; ne gli porteranno lettere, che prima non lo dicano alla Badeſſa, &, ottenuta licenza da lei, le Monache, che ſono chiamate, potranno parlare con chi l'haurà fatto dimandare, & non altrimenti, ſotto pena d'eſſer priue delli loro officij.

2 Ordiniamo in oltre, che ſi debbano anco eleggere alcune Suore per aſſiſtere à quelle, che alle ruote, ò alle porte ſaranno dimandate, il numero delle quali ſarà ſecondo la conſuetudine de'Monaſterij, & queſte tali ſi chiameranno Aſcoltatrici, & ſenza la preſenza almeno d'vna di loro non poſſa Suor'alcuna ragionare à ruote, nè à crate, & non permetteranno dette Aſcoltatrici, che alcuna Suora poſſa ſtare alle crate, ò altroue à ragionare con huomini per lungo tempo, ancorche foſſero ſtretti parenti, ſotto pena alle Aſcoltatrici, che aſſentiſſero à molto lunghi ragionamenti, di priuatione di voce attiua & paſſiua per vn'anno. Et le Suore, che voranno parlare à crate, ò ruote, con ſecolari, non haranno ardire, & poteſtà di chiamar ſeco qualunque Aſcoltatrice, che vorranno, ma quella, che ſarà loro aſſegnata determinatamente dalla Badeſſa, ò dalla loro Vicaria; & quell'Aſcoltatrice, che non vorrà aſſentire à quanto gli ſarà ordinato dalle Superiori, per penitenza ciaſcheduna volta farà la diſciplina in Refettorio.

## *Della vita commune, & pouertà.*
## *Cap. VII.*

PERCHE non è coſa, laquale ſia più commandata dalle regole, & dalli Monaſterij ben diſciplinati, quanto l'oſſeruanza della vita commune trà le Suore, com'hanno promeſſo per ſolenne voto oſſeruare, commandiamo, che tutte debbano viuere in commune ad vna medeſima menſa d'vn medeſimo pane, vino, & pietanza. Prouederà pero la Badeſſa, ſecondo la facoltà del Monaſterio, ben commenſurata alli biſogni delle Suore, cō diſcretione, & carità circa il vitto; & altre coſe neceſſarie, facendo, come Madre prouida di famiglia, ante uedendo nel principio dell'anno l'occorrenti neceſſità del Monaſterio, & l'entrate con le ſolite elemoſine, per poter prouedere à quanto farà biſogno: & ſarà diligente, & verſo tutte vguale, acciò che le Suore, laſciata la cura di queſte coſe terrene, ſiano più feruenti nelle coſe ſpirituali, in tanto, che niſſuna ſappia alcuna coſa eſſer ſua, non hauendo in loro libertà il volere, ò non volere, ma harāno l'vſo di tutte le coſe à libero beneplacito della Badeſſa, perche, altrimente facendo, ſariano proprietarie, & non ſeruerebbono il voto della pouertà, ch'è non ſolo non hauer coſa alcuna propria, ma ne anco deſiderare d'hauerla. onde, acciò che queſto habbia effetto, commandiamo, che niuna Suora in ſuo nome proprio poſſa tenere beni mobili, & immobili, nè in qual ſi voglia modo acquiſtati, ne anco danari, ma debbano quanto prima notificare quanto hanno alla Badeſſa, acciò che ſia paleſe, & manifeſto tutto quello, che poſſederanno per loro vſo; & amino tutte inuiolabilmente la ſanta pouertà, come muro della Religione: & ciaſcuna ſappia, & intenda, niuna coſa benche minima eſſer ſua, ne poterne diſporre in modo alcuno come propria, ma con licenza della Badeſſa, & in caſi neceſſarij, ò molto conuenienti, poiche non è in loro libertà, ne hanno volere, ò non volere; ma intendano, il voto della pouertà conſiſtere non ſolamēte in non hauer dominio, ò proprietà di coſa alcuna, ma ne vſufrutto, ne vſo, che ſi debba per via di ragione, ma ſolamente vſo di fatto condecente, & nuda tenuta ad arbitrio della Superiore.

Et perciò

2 Et perciò ſappia ciaſcuna, che non può donare, ne dare preſenti, ne riceuere, nè può vendere, ne locare, ò fare altri contratti, eccetto la Badeſſa, & Monaſterio in commune, & quel che le ſarà conceſſo tenere, ò pigliare con licenza, non lo può ſpendere in vſi profani, ò vanità, ò in coſe ſouerchie, & inconuenienti.

3 Intenda ancora la Badeſſa, & ciaſcuna Monaca, che non ſolo è peccato di proprietà tenere alcuna coſa di danari, ò d'altri in ſuo potere, ò d'altri, ſenza licẽza, nè ſaputa della Superiore, diſponẽdone à ſuo proprio arbitrio, ma ancora è proprietaria quella Religioſa profeſſa, che, tenẽdo alcune coſe con licenza, ne diſponeſſe in vſi profani, & diſutili, ò donaſſe à parenti, ò ad altri per complimenti vani, ancorche lo faceſſe con licenza della Badeſſa, poiche li Superiori non hanno poteſtà di diſſipare le coſe del Monaſterio, ma carico di conſeruarle; & la licenza data in vſi diſutili non vale; & pecca la Badeſſa, & la Suddita; & guardinſi di non tener coſa alcuna occolta, & ſecreta, che non lo ſappia la Badeſſa. chi contra farà, come proprietaria, ſia carcerata per otto giorni.

---

## *Del modo vguale de' veſtimenti.* *Cap. VIII.*

TVTTE le Suore ſi veſtiranno d'vna medeſima ſorte di panno, & ſiano li habiti d'vna medeſima fattione, & ſenza curioſità, & il colore ſia ſecondo che ricerca l'ordine di S. Benedetto, & ſecondo la laudabile conſuetudine antica della Religione, ſotto pena alla Badeſſa, che altrimente permetteſſe, d'eſſer ſoſpeſa dal ſuo Officio, & le Suore, che tali panni diſformiti vſaſſero, d'eſſer priue, ſenz'alcuna remiſſione, di detti panni.

## *Delle ſpoglie delle Suore defonte. Cap. IX.*

ORDINIAMO, che, quando occorrerà morire alcuna Suora, niuna diſcepola, Badeſſa, Sorella, Zia, nepote, parente, ò qualunque altra Suora priuata poſſa attribuirſi, ne appropriarſi ſpoglia alcuna di detta defonta, ma tutto quel, ch'era ad vſo di detta morta, ſi conſegni fedelmente alla Badeſſa, & ſeruirà per vſo cõmune, & beneficio del Monaſterio.

2 Potranno però la Badeſſa, Vicaria, & diſcrete, ſe vedranno il biſogno, diſpenſare tali robbe alle Suore più biſognoſe. & ſe alcuna Suora occoltaſſe, teneſſe, ò ſpendeſſe à ſuo guſto ſpoglie d'alcuna defonta, non poſſa eſſere aſſoluta, ſe non da noi, fatta però prima la reſtitutione.

## *Dell'Obedienza. Cap. X.*

DESIDERANDO, che'l voto dell'Obbedienza al tutto ſia oſſeruato in quel che non è contrario alla ſalute dell'anime, & alla profeſſione: Ordiniamo, che ciaſcheduna Suora obbediſca alla Vicaria, & a tutte le altre Officiali, reſpettiuamente in quel che cõcerne l'officio loro; & quelle, che ſaranno penitentiate, eſſeguiſcano dette penitenze ſenza replica, quando ſaranno loro impoſte alla colpa, ò altroue, per le tranſgreſsioni della loro regola, & di queſte noſtre ordinationi; & la Badeſſa non mancherà, ſecondo la conſuetudine del Monaſterio, aſcoltare la colpa, vna, ò più volte la ſettimana; & riprenderà tutte le delinquenti, ſecondo la qualità, & quantità de' difetti, oue però non ſaranno determinate le penitenze in queſte noſtre Ordinationi. Ma, doue ſono eſpreſſe ſemplicemente, ſiano eſſeguite, & per niun modo rilaſſate; & quando

s'aſcol-

s'aſcolterà la colpa alle profeſſe, non vogliamo, che ſiano preſenti le nouitie; & niſſuna preſuma riſpondere alla colpa, difendere, ò ſcuſare alcuna, che foſſe ripreſa, ſotto pena d'vna diſciplina publica in refettorio; ma, quando ragioneuolmente appareſſe, che ſi faceſſe ingiuſtitia ad alcuna, à lei ſola con ogni modeſtia, & humiltà ſeparatamente potrà dir'il ſuo parere.

E, quando la Badeſſa commanderà coſa alcuna per ſanta obbedienza, moſtrando voler eſſer obbedita, come verbi gratia ſe ella commandaſſe più volte, che vna taceſſe, quando naſceſſe alteratione frà le Suore, ouero, che non ſi riuelino coſe, dalle quali ne poteſſe naſcere ſcandalo, ouero odio, tutte le volte, che non ſi oſſeruerà tal'obbedienza, quella tale, che ſarà diſobbediente, ſarà tenuta mangiare in terra pane, & acqua, ſenza niente in teſta. & ſe occorreſſe, che alcuna Suora non ſolo riſpondeſſe arditamente alla Badeſſa, ma ancora (che Iddio non voglia) con parole ingiurioſe d'infamia inſurgeſſe contra di lei, commandiamo, che quella, come diſobbediente, e ribella, ſia incarcerata, & ſtia in prigione per quindici giorni: &, chi diceſſe tal'ingiurie all'altre Suore, ſia incarcerata per tre dì, & niſſuna ardiſca rinfacciare difetto alcuno paſſato, & innouar le piaghe paſſate corrette, & caſtigate; &, chi contrafarà, mangierà vna volta in terra co'l capo ſcoperto in refettorio; &, ſe alcuna infamerà in coſa graue la ſua Sorella, non vogliamo, che poſſa eſſer' aſſoluta, ſe non da noi, fatta però la reſtitutione della fama, & pacificata che ſarà con lei.

## *Della Clauſura. Cap. XI.*

POICHE il Sacro Concilio di Trento, a tanto ſeueramente ordina, ſotto l'atteſtationi del Diuin Giudicio, & minaccie della maledittion'eterna, à tutti li Superiori, l'oſſeruanza della clauſura de' Monaſterij, acciò che queſto ſi oſſerui inuiolabilmente, commandiamo per ſanta obbedienza, che niuna Badeſſa, ò qualunque altra Suora, ardiſca intrometter dentro alle prime porte del Monaſterio, che ſaranno quelle oltre la caſa del Parlatorio, & Ruota, ne Huomini, ne Donne di qual ſi uoglia condicione, ò per qual ſi uoglia cauſa, ſe non vedrà prima la licẽza in ſcritto del Superiore, ſotto pena della ſcõmunica Papale, da incorrerſi in quello iſtãte, & priuatione dell'vfficio che haueſſero, & inhabilità in perpetuo à qualũque poteſſero hauere, oltre della pena della carcere

a Seſſ. 25. c. 5

carcere per dieci giorni la prima volta, & per la ſeconda vn meſe. Et il Sacro Concilio Tridentino, & Conſtitutioni di N.S.Gregorio XIII. ſotto grauiſſime pene commandano, che ſi oſſerui la clauſura, & non ſi poſſa entrare, ne vſcire extra ſepta Monaſterij.

Ne preſumino mai Confeſſori entrare nella clauſura, ſe non per cagione d'amminiſtatione li Santiſſimi Sacramenti à inferme, racomandar l'anima, & far l'Officio alle defunte; &, tuttevolte ch'entreranno, entrino con la cotta,& ſtola, ſi come vuole la Regola delle Monache velate.

Dichiaramo etiam, & commandiamo alli Confeſſori, che non ardiſcano andar mai à celebrar Meſſa in tempo alcuno nella Chieſa di dentro d'eſſe Suore;& ſiano certi, che,entrandoui, fuor di tal neceſſità,come habbiamo detto di ſopra, incorreranno nella ſcommunica ipſo fatto, & priuationi di loro officij; &,tutte volte, che per tal neceſſità v'entreranno, ſubito che da quelli negotij ſaranno ſpediti, ſe ne vſciranno fuora, & ſempre il compagno ſarà con eſſi loro, entrando, ſtando, & vſcendo.Non permetteranno,che,mentre eſſi confeſſano,uadano li compagni per il Monaſterio, mà ſtaranno talmente diſpoſti inſieme, che vno vegga l'altro.

Auuertiranno le Badeſſe, che, quando ſarà neceſſario, che alcuni entrino dentro la clauſura, come il Confeſſore, il Medico, Chirurgico, ò altri, per portar dentro grano, vino,oglio,legne, farina, e ſimili,habbiano queſti tali ſempre la licenza in ſcriptis da Superiori,& ſempre ſiano accompagnati da quattro Suore in ciò deputate, & ſi dia ſegno con vna campanella, che tutte le Suore, lequali foſſero ſparſe per il Monaſterio, ſi ritirino nelle loro camere per non eſſer viſte;& niſſuna delle Officiali, fuor che nelle coſe appartenenti nelli loro officii, ardiſca di parlare con quelli tali, ſotto pena della priuatione di voce attiua, & paſſiua per vn'anno.

Commandiamo ancora eſpreſſamente, che niſſuna Suora poſſa ſtare alla porta,laſciandoſi vedere, ò guardando altri, ò ragionando cõ qual ſi voglia perſona, ſotto pena d'vno meſe di carcere; & ordiniamo, che niuna intrometta per la porta, ò per la ruota, fanciulli,ò putti maſchi, ò femine,di qual ſi voglia picciola età, & che non ſi poſſano tener dentro il Monaſterio, per imparare, giouane, & iui cuſtodirle, ne altre donne ammettere, ſe non per monacarſi ſenza licenza del Sommo Pontefice commeſſa all'Ordinario,il quale harà da vedere, ſe ſia vera, ò ſorrettitia.

Del

## *Del riceuer delli preſenti.*
## *Cap. XII.*

COMMANDIAMO ancora eſpreſſamente à tutte le Suore, che, tutte le volte, che ſarà loro data alcuna coſa da mangiare, la debbano conſegnare alla Badeſſa, la quale (eſſendo la coſa donata in quantità) debba farla diſpenſare in ſeruitio commune dell'altre: però à quella, che ſarà ſtata donata, ſe le ne potrà dare vna parte maggiore. ma, eſſendo li preſenti di coſa minima, ſi conſegnino alla Badeſſa, da diſtribuirſi à chi in Domino le parerà, come ad indiſpoſte, ò conualeſcenti, ſe non ſarà coſa da poterſi dare in commune.

Non vogliamo, che per l'auenire alcuna poſſa accettare preſenti, quantunque minimi, da qual ſi voglia perſona, ſenza eſpreſſa licenza della Badeſſa, Vicaria, ouero di all'un'altra madre zelante, alla quale ciò foſſe commeſſo: &, eſſendo eſſe occupate, queſta tale intenderà bene, chi lo manda, & chi lo porta, & che intereſſe hà la Suora preſentata con quella perſona, che dona; &, conoſcendo, che vengono da parenti, ò da perſone timorate di Dio, & non ſoſpette, vogliamo poſſa dar licenza, che si accettino; ma, dubitando, ò ſoſpettando altrimenti, debba riuocarli, & riprender chi li porta.

Commandiamo ancora, che niuna poſſa mandar fuora preſenti à qual ſi voglia perſona, ancorche foſſero parenti ſtretti, ſe prima non moſtra il tutto alla Badeſſa, & glie ne chieda licenza, laquale conſideri bene, chi ſia la perſona, alla quale ſi preſenta, ſe è perſona bene merita del Monaſterio, (che il donare à tali perſone, ſarebbe atto di gratitudine, & caritatiua remuneratione) & che coſa gli manda, & di che importanza, & donde ſi può muouere à fargli ſimile preſente: &, conoſcendo la perſona ſoſpetta, ò il preſente di valuta, ò l'occaſione ſcandaloſa, non gli darà licenza in modo alcuno, ſotto pena di ſoſpenſione del ſuo Officio: & quella, che ſenza tal licenza preſentaſſe, reſti priua di voce attiua, & paſſiua per vn'anno.

Ne manco ſotto preteſto di ſeruigio alcuno, Suora alcuna darà pane, vino, ò qual ſi voglia altra coſa del Monaſterio, à donne, ò ad altri,

che

che faceſſero ſeruitij, ſenza licenza della Badeſſa, ò Vicaria, le qual eſſortiamo che debbano eſſer nõ meno diſcrete, & prudenti, che amoreuoli, & caritatiue.

## *Dello ſcriuere, & riceuere lettere. Cap. XIII.*

Le lettere non ſi' ſcriuano ſenza prima dimandar licenza alla Badeſſa, à cui ſi dirà, à chi, & che coſa s'haurà da ſcriuere, & non ſi mandino, ſe prima non ſaranno viſte, & lette dall'iſteſſa Badeſſa, à cui ſtarà il mandarle, ò nò, & non ſi riceuano lettere, ne polize, ſe non per la Portinaia, ò Ruotaia.

## *Delle Crati, & Ruote. Cap. XIV.*

ORDINIAMO, che le rote habbiano di dentro le porte ſerrate con ſerrature, & chiaui, & parimente le crati; & le ruotaie hauranno diligente cura per tempo la ſera ſerrare dette ruote, & la mattina non l'apriranno auanti il leuar del Sole, ſe non foſse per cauſa d'importanza, & con licenza della Badeſſa. Le crati poi ſiano doppie, & diſcoſte almeno vn palmo l'vna dall'altra, doue però non ſono le lamine perforate, & piaſtre, perche, doue foſſero, baſterebbe vna crate ſola; & habbiano dette crati i telari di tela nera dentro, & che ſi ſerrino à chiaue, & tal chiaue la terrà ſempre preſſo di ſe, etiam quella della crate della Sacriſtia, & del ſportellino della Communione, la Badeſſa, la quale non conceda à Suora alcuna per poterſi moſtrare ad huomini, eccetto, che ſe foſſero parenti molto ſtretti, & alle donne, purche ſiano parenti, ſe ben non tanto ſtrette. Ne ſi potranno le Suore moſtrare à detti parenti loro, più di tre volte l'anno, ſenza licenza noſtra.

Commandiamo ancora alle Aſcoltatrici, che non ſi diſcoſtino mai dalle Suore, che ragionano, ne permettano, ch'alcuna ragioni di ſecreto, ouero di coſe inconuenienti.

Commandiamo etiamdio à tutte le Suore, che non tengano amicicie di Preti, ò Frati della loro, ò altra religione, ò di ſecolari, che non ſiano parenti, ſotto pena della priuatione di voce attiua, & paſſiua, & inhabilità in perpetuo ad ogni vfficio; & la Badeſſa, ſotto pena di priuatione del ſuo Vfficio, non permetterà, ch'alcuna ragioni con alcun Frate di qual conditione ſi ſia, ſe prima non ſi farà preſentare la licenza hauuta da noi in ſcriptis, & tal licenza la riterrà preſſo di ſe, ſenza mai renderla al Frate, perche detta licenza non valerà per più d'vna volta.

## *Del reſettorio.* *Cap. XV.*

TVTTE le Suore non mancheranno di conuenire in reſettorio fatto il primo ſegno, & ritrouarſi preſenti alla benedittione della menſa, eccettuate l'inferme, & entrino tutte inſieme à tauola, & neſſuna ſi parta, ſino che non ſaranno reſe le gratie, ſe non foſſe per coſa d'importanza, & queſto con licenza di quella, che precederà in reſettorio; &, mentre ſi mangia, vna continuamente leggerà; & tutte l'altre attenderanno non ſolamente à cibar' il corpo, ma ancora l'anima con qualche deuota, & ſpiritual lettione, & ciaſcheduna ſederà nel ſuo luogo, ſecondo l'ordine, & antichità; & continuamente s'oſſeruerà il ſilentio, & non ſarà lecito ad alcuna parlare, ſe non per caſo d'importanza, & con baſsiſſima voce, ne ſi diſpenſerà il ſilentio dalla Preſidente, ſe non rariſſime volte, & nel tempo di tal diſpenſattione le Suore ſtaranno con modeſtia, & diſcretione, ſi come conuiene alle vere ſerue di Chriſto.

## *Del riceuere, & ſpendere l'entrate del Monaſterio. Cap. XVI.*

PER leuar via totalmẽte la proprietà, & per vtilità commune, ordiniamo, che tutti li danari, che vengono nel Monaſterio, ò ſiano d'entrate di poſſeſſioni, & d'altre coſe ſpettãti à quello, come d'affitti, doti, legati, elemoſine, certe, & incerte, che perueniſſero al Monaſterio, ò foſſero laſciate in particolare à qualche Suora, ſi debbano riceuere dalla Badeſſa, & ſi ſcriueranno tutte in vn libro da vna Suora, la quale in alcuni Monaſterij ſi chiama Camerlinga; & ſi metterãno tutti li detti danari inſieme in vna caſſa, la quale habbia due chiaui differenti, delle quali vna ne terrà la Badeſſa, & l'altra quella Suora, c'harà cura di ſcriuerli.

Queſta tale ſpenderà, quando ſara'l biſogno, però con interuento, & licenza della Badeſſa, & ſubito ſcriuerà partita per partita nell'iſteſſo libro, tanto la ſpeſa, come l'entrata del Monaſterio; & nell'iſteſſa caſſa terrà ciaſcheduna Suora li danari, che le ſaranno conceſſi per vſo particolare: douendo la Badeſſa, & Camerlinga poi dare in ogni quattro meſi conto all'Ordinario, & deputati per l'Vniuerſità, dalli quali dipenda la ſignificatoria in aſſoluere, & condennare ſecondo la qualità delli conti, che ſi daranno: dichiarando, che li danari, & robbe donate, ò laſciate ad alcuna Suora particolare ſi hanno da mettere in commune per li biſogni del Monaſterio; & non s'hanno da riſerbare per darli alli particolari, ne ci hà da eſſere altra caſſa da rimetterſi danari per vſo particolare, ma ſolo la caſſa commune.

*Del*

## *Del riceuere le nouitie. Cap. XVII.*

NON ſi poſſa accettare alcuna perſona minore di dodici anni compiti. come vuole il Concilio di Trento [a], col conſenſo di due terzi del Monaſterio, & licenza noſtra; & non s'accetterà à viua voce, & publica, ma per voti ſecreti, accioche ſi leuino tutti i ſoſpetti, che poteſſero naſcere. Auertiranno però le Suore, quando hanno da dar voto ad alcuna per eſſer Monaca, che tale ſia ben nata, di parenti di buona fama, & di buona, & ſanta mente, ſana di corpo, & atta à fare gli eſſercitij communi del Monaſterio. Auertiranno in oltre le Badeſſe, inſieme con le Vicarie, ch'auanti, ch'introducano alcuna dentro per monacarſi, che ſe le faccia ſapere tutta la regola, l'aſperità del viuere, del veſtire, delle vigilie, de'digiuni, dell'orationi, & d'ogn'altra aſprezza del viuer loro; non permettendo, ch'alcuna Suora particolare ſi pigli, & alleui alcuna diſcepola, etiam che le foſſe parente, perche ſi fanno poi com'vn'Idolo di quella, & cercano di laſciarla herede delli loro oratorij, ò celle, & delle ſpoglie, che non ſono loro, ma del Monaſterio, auezzandole ad eſſer proprietarie, & ſenſuali. Onde, per eſtirpare queſta mala conſuetudine, commandiamo eſpreſſamente, che per Scrutinio ſecreto s'elegga vna Suora delle più diſcrete, & zelanti, la quale ſarà detta Maeſtra delle nouitie, & haurà cura di loro, & inſegnerà ad eſſe il modo di viuere, & le cirimonie della Religione, l'Officio Diuino, & l'oſſeruanza della loro regola; & niuna ſarà ammeſſa alla profeſſione, ſe non haurà finito il ſeſto decimo anno co'l voto delle Suore, & licenza noſtra. Detta Maeſtra haurà cura di eſſe non ſolo nell'anno del nouitiato, ma ancora due anni ſeguẽti, che ſarãno profeſſe, che ſtiano ſeco, ne vadano vagãdo per il Monaſterio cõ le Suore profeſſe, ma ſempre accõpagnate da lei, ò d'alcun'altra da lei deputata, & le allieuerà nel timor di Dio &, inſino; che non ſarà compito il terzo anno, dette giouani profeſſe non haranno voto nell'elettione della Badeſſa, quantunque fatta la profeſſione poſſano in tutte l'altre elettioni hauer voto.

[a] Seſs. 25. c. 17.

## *Del numero delle Suore. Cap. XVIII.*

PERCHE per eſperienza vediamo, ch'è molto meglio eſſer poche, & buone, ch'aſſai, & inutili, acciò che non ſia maggior il numero di quanto ſiano baſteuoli l'entrate, & l'elemoſine cotidiane, & che, mancandò la ſoſtanza corporale, non ſi perda l'oſſeruanza regolare, ſecondo, che vuole il Sacro Concilio di Trento [a], & ſecondo la Conſtitutione di N. S. Gregorio xiij. il quale vuole, che non poſſa eſſer maggior'il numero delle Suore di quanto comporta l' entrata del Monaſterio: Per queſto ſi faccia il conto, quanto ſi può ſpendere l'anno per vitto, & veſtito di ciaſcuna; &, conforme à queſto eſito, & all'entrate del Monaſterio, & alla dote, che ſi darà, habbia da eſſer il numero delle Suore.

a Seſſ. 25. c. 3

## *Di non reuelare i difetti del Monaſterio fuora, & l' imperfettioni delle Suore. Cap. XIX.*

CONSIDERANDO il grã ſcandalo, che naſce ſpeſſe volte ne'Monaſterij per riuelarſi i difetti delle Suore fuori del Monaſterio à ſecolari, à quali nõ ſi deue, & nõ ſenza ammiratione di loro; per dar rimedio à tali difetti, Commandiamo ſotto pena di ſcommunica, & maledittione del Beato Santo Benedetto, & noſtra, che niuna riueli i difetti della Religione, ò del ſuo Monaſterio, à qual ſi voglia perſona fuora del Monaſterio, ſaluo, che à ſuoi Superiori, & ſuoi legitimi Prelati per rimediaruici: &, chi contra faceſſe à queſto, che Iddio non voglia, oltre alle pene arbitriarie cõforme al delitto, non potrà eſſer aſſoluta ſenon da noi.

## *De' tempi, quando queſti noſtri Statuti, & ordinationi ſi deuono leggere. Cap. XX.*

ACciò che queſta fatica non ſia fruſtatoria, & vana, & li buoni ordini, che ſi fanno, non vengano in diſpregio, vogliamo, che tutte le ſopradette ordinationi da tutte le Suore, tanto ſuperiori, quanto ſuddite, ſiano oſſeruate intieramente; &, quando le ſuperiori ſaranno negligenti in oſſeruarle, & farle oſſeruare, ſaranno ſeueramente penitentiate da noi, con la priuatione, ouero ſoſpenſione de' loro vfficij. Ordiniamo ancora, che, dopo che ſarãno le preſenti ordinationi coſi fatte, ogni Badeſſa, che pro tempore ſarà, ſia obligata hauerle nel Moneſterio, & almeno ogni due meſi vna volta le faccia leggere in Refettorio, acciò che niuna ſia ſcuſata per l'ignoranza; &, dopò, che ſaranno lette, ſi conſerueranno; & gli Ordinarij, che ſaranno nelle loro Viſitationi, coſi paternali, come giudiciali, trouando le Suore difettoſe, & non oſſeruanti di dette ordinationi, le caſtigheranno ſeueramente; altrimente aggrauiamo le conſcienze loro, che nel giorno del Giudicio ne habbiano à render conto ſtrettamente auanti il Tribunal di Chriſto Signor Noſtro, al quale ſia honor, & gloria adeſſo, & ſempre. Amen.

Lucas Ant. Reſta, Epus Andrien.

Locus ſigilli.

ALIAE

# ALIAE CONSTITVTIONES ET ORDINATIONES EXCEPTAE EX REGVLIS EARVM MONIALIVM ET EX SACRIS CONCILIIS ADDITAE

*Per ipſum Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Epiſcopum, pro bono regimine ipſius Monaſterij, poſt alias Conſtitutiones, de quibus ſupra, traditas.*

*Cap. XCI.*

## *De Confeſſione Monialium.* *Cap. I.*

CONFESSORES Monialium, qui eligantur graues, & maturi, tùm ætate, tum moribus, non poſſint ingredi Monaſteria earum, niſi inſtante infirmarum, & conferendorum Sacramentorum neceſsitate, & ſemper cum ſocio ſibi deputatò.

Et, vt, iuxta Apoſtoli ſententiam, omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant in nobis, & quia his, qui in Chriſto piè viuunt, non malum tantùm, ſed etiam mali quoque ſuſpectio cauenda eſt: ſtatuimus, vt ſocius Confeſſoris Monialium, quantũ fieri poterit, ab ipſius latere non recedat, & pro amborum cuſtodia ſemper alter alterum videat.

Cùm

Cùm verò pro audienda confeſſione, aut aliquo Sacramento conferendo ingreditur, vadat ſemper ſuperpellicio, & ſtola indutus; exceptis verò his caſibus, nullo modo ingredi poſſit, niſi de ſpeciali licentia Prælati ſui, ob aliquam cauſam, ſi iuſta, & neceſſaria iudicata fuerit.

Socij verò Confeſſorum cum aliqua Monialium loqui non præſumant abſque licentia Confeſſoris: contrafacientes autem, toties in pane, & aqua ieiunent, quoties contrafecerint, nec à quoquam diſpenſari poſſint, niſi pænitentiam fecerint.

Nec petant ipſi Confeſſores, nec ſocij, aut accipiant, ſiue dent aliquid Monialibus, ſine expreſſa licentia Prælati ſui.

Communio autem ipſarum, quæ ſaltem ſemel in ſingulis menſibus fieri debet, fiat ſemper ad feneſtram ad hoc deputatam, excepta feria V maioris hebdomadæ, & ſollemnitate Corporis Chriſti, propter proceſſiones, & cæremonias illarum dierum. Exhibeatur quoque à Prælato Confeſſor extraordinarius, bis, aut ter in anno, qui omnium confeſſiones audire debeat, ſicuti præcepit Tridentina Synodus[a]. a Seſſ.25.c.10

## *De acceptandis Monialibus.*
## *Cap. II.*

IN accipiendis puellis tum ad habitum, tùm ad profeſſionem, illa omnia ſunt executioni mandanda, quæ Tridentina Synodus[b] præſcripſit: inter quæ id præcipuè aduertendum, quòd profeſſio fieri non poteſt, aut debet ante ſextum decimum annum expletum: ad quam nulla admittenda, quæ minori tẽpore, quàm per annum, in probatione extiterit. b Seſſ.25.c.17

Nulla autem poſſit in Capitulo proponi, niſi de conſenſu Prælati, ſi præſens fuerit: aliter omnia pro infectis habeantur: ſi quæ autem reiecta fuerit, non poſsit proponi amplius, niſi maior pars Capituli, præſente Prælato, conſenſerit. quo facto, poſsit denuo proponi, attento, quod, ſi quæ Moniales præſentes non fuerint acta in Capitulo tàm in his, quàm in cæteris actibus, committere, nec etiam ipſi Abbatiſſæ debet; Sed Prælatus ſic abſentium pro infirmitate vota requirat, dentur q; vota per calculos, aut fabas, & non per voces.

Quando

Quando autem erunt veſtiendæ puellæ habitu ſanctæ Religionis,ad euitandum tumultum, & conſeruandam illarum deuotionem, ipſæ, pro ſumendo habitu nouitiatus,veſpere introducantur in monaſteriū, & manè ſecreto induantur habitu ſanctæ Religionis in interiori Eccleſia;& hoc fiat abſque ſæculari pompa.

Caueatur autem, ne multiplicentur nouitiæ, vltra numerum, quæ vel ex redditibus proprijs Monaſterij, vel ex conſuetis eleemoſynis commodè non poſsint ſuſtentari; vt decreuit Sancta Tridentina [a] Synodus: nec eleemoſynæ pro receptione nouitiarum acceptæ, ab Abbatiſsis, abſque interuentu Prælati, & Monaſterij diſcretarum, expendantur.

a Seſſ.25.c.3

Aduertatur præterea, ne, ante emiſſam profeſsionem, excepto victu, & veſtitu, quo tempore in probatione eſt nouitia, quocunque prætextu à parentibus, vel propinqnis, aut curatoribus eius, Monaſterio aliquid ex bonis eiuſdē tribuatur;ne hac occaſione diſcedere nequeat, quòd totam,vel maiorem partem ſubſtantiæ ſuæ Monaſterium poſsideat; nec facilè, ſi diſceſſerit, id recuperare poteſt; quin potius præcipit Sancta Tridentina [b] Synodus, ſub anathematis pœna, tàm dantibus, quàm recipientibus, nec hoc vllo modo fiat.

b Seſs.25.c.19.

Abbatiſſa, & Moniales nullam amodo in Monialem recipiant, niſi Chriſmatis charactere inſignitam; ne tali occaſione cogantur introducere Epiſcopos, & aperire Monaſteria ſæcularibus.

Nulla etiam mulier,cuiuſcunque conditionis,vel ætatis exiſtat,pro quacunque cauſa proponi poſsit in Monaſterijs, niſi ſeruatis ordinibus Illuſtriſsimæ Congregationis, & diplomatibus, ſiue priuilegijs Summi Pontificis, obtentaqna licentia etiam à nobis in ſcriptis, excepta tamen cauſa vrgentiſsima, videlicet, tempore belli, & huiuſmodi.

Statuimus etiam,vt inſuper Moniales noſtræ ſubditæ, omnino abſtineant a colloquijs perſonarum laicarum vtriuſque ſexus, etiam cōſanguineorum, omnibus diebus Quadrageſimæ, & Aduentus Domini, & in quibus ſacta fuerit Sanctiſsima Communio, ob reuerentiam talium dierum, & vt contemplationi rerum Diuinarū vacare poſsint.

Nulla autem Monialis,nec etiam Abbatiſſa præſumat introducere alios medicos,præter ordinarios Monaſterij,ſine licentia Prælati, quidem non facile licentiam huiuſmodi impartiatur,ſed omnino aduertat, vt in hoc ſeruentur decreta Sacroſancti Concilij Tridentini,& Conſtitutiones Apoſtolicæ Fel. Record. Pij V. & Gregorij XIII.

c Seſs.25.c.5

De

## *De litteris, & munuſculis non mittendis, neque recipiendis. Cap. III.*

ORDINAMVS, vt Moniales a modo non præſumant mittere ſine noſtra licentia munuſcula, tàm generaliter, quàm particulariter.

Volumus etiam, & ordinamus, ad euitandum proprietatis vitium, furta, & inobedientias, & alia inconuenientia, quòd nulla Monialium donare aliquid poſſit vlli Confeſſorum, aut aliorum ex noſtris, vel cuilibet, neque etiam de ſpeciali licentia Abbatiſſę.

Contrafacientes verò, tam Moniales, quàm alij, cuiuſcunque gradus exiſtant, ieiunent ter in pane, & aqua, intra quindecim, aut viginti ad ſummum dies, & Abbatiſſę recepta reſtituant. ſuper quo à nemine diſpenſari valeant.

Ordinamus etiam, quòd Moniales ſcribentes, vel mittentes litteras ſine facultate, pro qualibet vice comedant in terra in refectorio, in pane, & aqua, & genuflexæ maneant ad Refectorij portam tranſeunte conuentu, cum Zona ad collum.

Si contigerit in hoc Monaſterio eſſe plures ſorores germanas, ſi earum vna Monaſterio præfigatur, & Abbatiſſa creetur, alias ſorores mandamus omnibus officiis carere, & vitam ibi priuatam agere.

Quæ electę fuerint, vti earum obedientia poſtulat, officia ſuſpiciãt, & munera ſibi iniuncta ſine recuſatione humiliter exequantur. Quę aliter fecerint, abſque iuſta cauſa, quæ vel ab Abbatiſſa, vel Ordinario Superiore probata ſit, & admiſſa, careant voce actiua, & paſsiua.

Abbatiſſa, vel eius Vicaria, & omnes etiam in ſimul curent, vt pax, & concordia Sororum conſeruetnr, ſublatis, quantum fieri poterit, omnibus diſsidijs, & diſcordiæ cauſis; vt (quem admodum debent) vnum corpus, & vnus ſpiritus fiant in earum Sponſo Ieſu Chriſto, perfectoque charitatis vinculo ei colligentur.

Studeat etiam Abbatiſſa, vt ſingulæ Sorores ſuo munere rectè fungantur;

gantur; neque vlla alterius officium occupet, niſi auxilij cauſa; idque ipſius nutu. Et, vt omnia recto ordine perficiantur, mandatur, vt ſilentium locis, ac horis præſcriptis ſeruetur. ſi verò alicuius improbitas, vel importunitas, vel verbo, Sororum, pace turbata, charitatem violauerit, acerrime ab Abbatiſſa, vel Vicaria, & (ſi opus fuerit) à Superiore puniatur; vt eius animi elatio dometur.

Demum prędicta Abbatiſſa, tanquam communis omnium mater, ipſarum & corporis, & animæ ſaluti diligentiſsimè conſulat, eaſque ſtudioſè admoneat, vt puro corde ſint, integritatem ſeruent, & ad perfectionem virtutum omnium contendant; ſi quidem, quæ religionem ſumpſerunt, niſi ad ſummum illum gradum pro viribus peruenire conentur, minus ſanè efficiunt, quàm debeant, prouitæ, & ordinationis inſtituto, quod profitentur. Meminerit autem Abbatiſſa, ſibi reddendam eſſe rationem iuſtiſsimo iudici erratorum, quæcunque Moniales eius negligentia, aut culpa admiſerint.

Lucas Ant. Reſta, Epus Andrien.

Locus ſigilli.

## Viſitatio Eccleſiarum, & Cappellarum, intus, & extra Ciuitatem. Cap. XCII.

ET ſic, Cathedrali Eccleſia, Clericis, Laicis, Religioſis, & Monialibus viſitatis, modo prædicto, debet Viſitator viſitationem iam cœptam proſequi, ordine prædicto ſemper ſeruato in omnibus Eccleſijs, & cappellis, quæ ſunt intra, & extra ciuitatem; accedendo perſonaliter cum Notario, & Coaſſumptis, notando omnia, prout ſupra dictum eſt. Ordinarius tamen ſciat, ad ſe hoc munus pertinere [a]: vt viſitet omnes Eccleſias ſuę Diœceſis, Monaſteria, & xenodochia etiam heremitarū, & quorumcunque locorum piorum; vt ſacri Canones tradunt, in quibus dicitur, quòd Epiſcopus quaſcunque Eccleſias ſuæ Diœceſis circundare, & inuiſere debet, an refectione, & alijs neceſſarijs egeant; & præcipue illas Eccleſias, & pia loca viſitare debet, quę auctoritate ordinaria fundata ſunt. Quin etiam communiter tenetur, quòd Ordinarius potiorem, ac ſpecialem iuriſdictionem habeat viſitandi hoſpitalia, & loca pia [b], ſic conſtituta per Diœceſim; ſciſciteturque a Coaſſumptis, tàm in ciuitate, quam etiam extra, & ſimiliter in oppidis Diœceſis, an ſint aliæ Eccleſię, oratoria, & cappellę, tàm intus, quàm extra ciuitatem. quas Eccleſias perſonaliter accedendo viſitare debet modo prędicto. Et, vt facilius omnia exequi poſſit, viſum eſt etiam infraſcripta interrogatoria ſubtexere, pro recentiori memoria Viſitatoris; quibus vti poterit, addendo, vel diminuendo, prout ſibi videbitur.

a c. Romana. de cen lib. vj. c. Epiſcopum x. 91. 5. c. 7. ſeſs. 6. c. 4.

b Conc. Trid. ſeſs 22. c. 9. de reformat.

Primò, notanda curet nomen, cognomen, Rectoris, poſſeſſoris, dotem Eccleſię, ſeu cappellæ, & patronum, ſi ius patronatus erit; ſin autem, ſcribat, de iure ordinario.

Nocet etiam locum, diſtantiam, ædificium, altitudinem, altare, ſcabellum, Iconam, Crucem, picturas, ſculpturas, & ornamenra, pro vt ſupra in Viſitatione Cathedralis explicitè docuimus.

Altare firmum lapideum, integrum, conſecratum, portatile, am-

plum, bene ſigillatum ſit, lapidem ſacratum æqualiter Altari infixum habeat, Baldachinumque, ſiue vmbellam amplam deſuper appenſam.

Spatium hinc inde amplum ſeruitio neceſſarium ſit.

Feneſtellę conuenientes pro bacili, & vrceolis conſeruandis.

Calicem, corporalia, purificatoria, veſtes ſacras benè diſpoſitas, nec immundas, nec confractas, & ſciſſas habeant.

Miſſale, candelabra, campanam, & campanulam, cancella, ſcabellum habeant.

Videat, an munda omnia ſint, & decenter ornata.

Videatur poſtea, an noua conſtituta aliqua ſint, aut vetera demolita ſine licentia, vel aliqua reformanda, vel demolienda, vel ędificanda, vel transferenda, vel reparanda ſint.

Item, an aliqua ſint cum propria ſepultura, & quid pro ea ſoluatur, & cui.

Item, an aliqua legata pia, aut relicta pia perpetua.

Item, an bona vſurpata, à quo, & quanto tempore.

An aliqua bona vnita Eccleſię, vel Capitulo, & quæ.

An remittant Cappellani caducitates.

Vocentur Cappellani, & poſſeſſores ad Epiſcopale Palatium, & omnes adſint cum litteris ordinum, & beneficiorum.

Mandet illis, vt dent inuentarium ſtabilium cum finibus nouis noſtri temporis intra terminum; citentur Patroni, & alij, ad quos pertinet oſtendere fundationes, vniones, iura, priuilegia.

a Seſs. 25. c. 9. de refor. Requirantur, & videantur priuilegia, & prout de iure, & de diſpoſitione Sacroſancti Concilij Tridentini prouideatur.

Si altaria ad ius patronatus ſpectantia non ſunt depicta, hortandi ſunt Patroni, vt pingenda, & ornanda curent.

Sed, ſi non habent Patronum, vel nolint, & aliqua difficultas oritur, cōſulat Sanctiſsimam Congregationem, & iuxta eius Decreta exequatur; ſin autem, ipſe, prout ſibi de iure videbitur, decidat.

Videat, ſi Eccleſia non ſit conſecrata, vt conſecretur.

In Eccleſijs Collegiatis ſtatuendum eſt, vt ex fructibus pluriurn cappellarum conſtituatur merces, ſiue ſalarium alicui Clerico, vt inſeruiat, ſi opus eſt, & ſcribat, notetque eos, qui celebrant, vel non.

De

## De xenodochiorum, ſiue hoſpitalium viſitatione. Cap. XCIII.

QVoniam Ordinarius parens eſt, & diſpenſator pauperum; æquum eſt, ac rationi conſentaneum, vt per ſe, vel, ſi impeditus fuerit, per Vicarium ſuum reformationi, ac bono regimini hoſpitalium, ac reliquorum piorum locorum incumbat, iuxta ſacrorum Canonum [a] regulas, ac Sacroſancti Tridentini [b] Concilij decreta, quibus omnia impedimenta, ac difficultates tolluntur, ac remouentur. Quapropter, confecta prædicta viſitatione, ac opportunis, neceſſarijſque adhibitis remedijs, ſciſcitabitur, ac diligenter perquiret, an in illa ciuitate, vel oppido reperiatur aliquod xenodochium; &, ſi reperitur, an ſit ſub alicuius Iurepatronatus nec ne; & conuocatis Patronis, ac alijs viris ad illius regimen deputatis, ac electis, perſonaliter ſe conferet ad inuiſendum huiuſmodi xenodochium; & in primis libros Viſitationum aliàs in eodem loco factarum ſibi tradi poſtulabit: quòd ſi nullus reperiatur, nouum ſtatim faciendum curabit. Deinde perquiret, quot, & quantæ, ſint opes, qui cenſus illius xenodochij, cùm ad loci ipſius dignitatem retinendam, tùm ad pauperes alendos, ac ſubleuandos.

a De xenodochiis de relig. dom. clé. quia contigit eod tit. doce. in c. ſi Romana de cenſ. lib. 6.

b Seſſ. 25. c. 8. de refor. & ſeſſ. 7. c. 15. & ſeſſ. 22. c. 8.

Præterea, ſi nullum ſit opum, ac cenſus illius inuentarium, ſiuè index libellus, nouum faciendum ſtatim curabit, in quo totius cenſus rationes, & prædia, cum ſuis finibus, ac terminis, reliquiſque conditionibus, deſcribentur, ea ratione, ac methodo, quę ſupra in viſitatione Eccleſiarum, & beneficiorum tradita eſt. Si quid autem, quod ad illius xenodochij iura pertineat, ab aliquo vſurpatum, vel male alienatum repererit, quamprimum recuperari mandabit.

Præterea, rerum mobilium inuentarium, ſiuè indicē libellum confici imperabit; in quo lectulorum, & omnium, quæ ad peregrinorum, & ægrotantium vſum pertinent, numerus, ac qualitates diligenter adnotentur, ac conſcribantur. quod quidem inuentarium xenodochij adminiſtratori, vel ei, cui illius adminiſtrationis onus demandatum eſt, tradet.

Perquirat etiam, an xenodochij magiſter, ſiue miniſter ſit affabilis, pius in recipiendis pauperibus, & diligenter eis in neceſſitatibus inſeruiat;

uiat; an à ſordibus, tàm lectulos, quàm ipſoſmet infirmos abluat ſæpè, ac magna adhibita diligentia. An mulieres in lectulis proprijs ſeorſum à viris iaceant. An ibi ſit aliquod cubiculum remotius, ſiuè conclaue aliquod, in quo Presbyteri, monachi, & nobiliores aliquæ perſonę collocari poſſint; ſi fortè illis ibi, vel ob malam valetudinem, vel ob aliquam aliam cauſam, & ſuperuenientem neceſſitatem immorandũ eſſet. Quod ad infirmos attinet, interroget, an eis Confeſſio, & alia Sacramenta ſubminiſtrentur.

Quod ſi aliquod ibi hoſpitale ſit, in quo pauperibus infirmis, vulgò, ac ordinariè medicamenta adhibeantur; videat, ac diligenter ſcrutetur, an ibi ſit aliquod Sacellum, ſiuè Oratorium, in quo ſacrum Miſſæ peragi poſſit. Interroget etiam, quomodo xenodochij opes, ac cenſus expendantur, ac in quo potiſſimum erogentur. & in hoc, an fundatorum, & eorum, qui huiuſmodi loca dotarunt, voluntas adimpleatur. Inſuper, ſi quæ erunt ſcripturę, vel publicę vel priuatæ, vt diligenter, ac cautè cuſtodiantur, imperabit. Illud quoque perquiret, an omnium bonorum, quę tam ex prędijs, quàm ex alijs locis percipiuntur, à miniſtris ratio reddatur ſingulis annis, dominis, vel alijs, cui id oneris demandatum fuerit, ac commiſſum; rationeſque huiuſmodi, & cõputa ipſe per ſe quoque percurret, ac diligentius conſiderabit; vt ſupra dictum eſt, cùm de Eccleſiarum rationibus, ac cenſu ageretur. Tãdem omnibus prouidebit, ac opportuna remedia adhibebit; prout magis ei expedire videbitur, & ad Dei omnipotentis cultum, & ad xenodochij illius regimen bonum. Et, vt facilius omnia memorię mandari poſsint, poterit Viſitator de omnibus xenodochijs patronos, ac rectores, modo, ac ordine, qui ſequitur, interrogare: videlicet:

Gubernia, & adminiſtrationes, quę, & qualia ſint, & quomodo fiant.

Miniſtri qui, & quales ſint, & an perpetui.

Temporales quomodo deputentur, & eligantur.

An ipſi ſint debitores hoſpitalis.

An actu hoſpitalitatem exerceant, & quomodo.

An quolibet anno rationem adminiſtrationis Ordinario reddant.

Officiales, qui, & quales ſint.

Quomodo conſtituantur, & quando per annum.

Quàm benè ſuo munere fungantur.

Quot miniſtri ſint in hoſpitali.

An piè viuant, & diligenter ſuum officium exerceant.

De diligentia in recipiendis hoſpitibus.

De charitate in ijs recipiendis, & tractandis.

Quot in hoſpitali nunc ſuſtineantur hoſpites.

Quot

Quot lectuli ſint, & qui deſcribantur; & detur inuentarium tam illorum, quàm rerum mobilium omnium.

An diligentes ſint in perquirendis eleemoſynis.

An alijs pijs locis reſpondeant.

An mares cum fęminis verſentur, an ſeparati maneant.

An hoſpites piè viuant.

An, cùm hoſpitale ingrediuntur curandi gratia, confiteantur, & communicent.

An etiam poſtea frequenter.

An Miſſa celebretur pro infirmis, qui in lecto iacent.

Quot cappellani ſint.

An habeant in Eccleſia ſepulchra pro mortuis ſepeliendis, & quot.

Quę adhibeantur in ipſis ſepeliendis.

Si mortui habent ſupellectilem, cui applicetur.

An, quando ad hoſpitale curandi gratia veniunt, per inuentarium recipiantur eorum bona, quę ſecum habent, & etiam pecunię. Omnia hoſpitali applicentur, ſi mori contigerit.

An alienata ſint aliqua bona.

An ſine conſenſu Ordinarij.

An per aliquot dies pręconizentur in locis publicis.

An ſubhaſtentur, & plus offerenti liberentur.

An reparatione vlla indigeant.

An aliqua ſint membra annexa.

An habeant Eccleſias, ſeu cappellas.

Fundationes, inſtituta, priuilegia, exhibeantur.

Videat iura omnia, & redditus, onera, & expenſas.

Rationes de pręterito, & ſtatum preſentem.

Inuentarium bonorum omnium hoſpitalis, & an ſingulis annis innouetur.

*Viſitatio*

## *Viſitatio Confraternitatum, Scholarum, & Societatum. Cap. XCIV.*

QVoniam, quę religionis, ac pietatis cauſa inſtituta ſunt, contingit aliquando ab humanę ſalutis perpetuo hoſte deprauari: propterea Viſitator diligenti indagine perquirere debet, ac ſcrutari, quę ad Societates, & Confraternitates, aut Scholas huiuſmodi in populis ſub pietatis nomine inſtitutas ſpectant; Sacri Concilij Tridentini Decretis inhærendo.

In primiſque, qui fundatores, quę origines earum, examinabit, ac conſiderabit; ſeque de omnibus inſtitutis, legibus, ac ordinationibus informari, ac certiorem fieri curabit: in quo hęc potiſsimùm exquiret: an huiuſmodi inſtituta, bona, & honeſta ſint, & ad ſanctum finem directa, an aliquam in ſe ſuperſtitionem, an res vanas, & ſcandalis obnoxias contineant. atque eas ſolas ſua auctoritate confirmabit, quas iuſtas, rectas, & honeſtas, ac ſuper vera charitate, quę totius Chriſtianę legis finis eſt, fundatas eſſe deprehendet; contraque illas deſtruet, & è medio tollet, quas tales eſſe minimè reperiet: nec vllo modo permittet, hunc in eis abuſum irrepere, ac longa conſuetudine corroborari, vt Dominicis diebus, vel in ſignioribus Sanctę Eccleſię ſollemnitatibus, ad audiendas Miſſas votiuas, vel pro defunctis congregentur, prętermiſſa interim rei ſacrę auditione, quam Sancta Mater Eccleſia eo die Dominico, vel in honorem illius Sancti celebrare conſueuit: ad quam etiam audiendam omnes Chriſti fideles, eiuſdem Eccleſię pręcepto, ſub mortalis peccati pœna, tenentur [b]. Interrogabit etiam, an habeant ſacella, ſiue oratoria particularia, in quibus Fratres diebus Feſtis ſacris de more induci ad celebrandum Beatiſsimę Virginis Marię Officium conueniant. Illud quoque obſeruatum eſt, in huiuſmodi Societatibus, ſiue ſcholis, hanc legem, plerunque apud eos inuiolabiliter ſeruari, vt certum, ac ſtatum Fratrum numerum preteriri, ac traſcendi nolint, nullûque in eis conſcribi, ac admitti, niſi ex certa aliqua particulari familia originem ducat, ac quibuſdam qualitatibus ſit inſignitus. Hos igitur omnis abuſus, & ijs ſimiles, Viſitator tollendos quamprimum curabit. Exquiret etiam, qui, & quantus

[a] c. miſſas de conſecrat. diſtinct. 2.

& quantus ſit cenſus illarum, quomodo illum fuerint adepti, & qua ratione expendatur, an in ſacrificijs, cera, eleemosynis, & Eccleſiæ reparatione. Nec permittat in commeſſationibus, peregrinationibus, ac votis conſumi.

Interrogabit etiam, an ornamenta cultui Diuino apta, & neceſſaria habeant.

An vltimas voluntates eorum, qui res ſacras fieri, & alia pia opera exerceri reliquerunt, re ipſa comprobent, ac impleant.

Videbit etiam, an miniſtri ſingulis annis rationem reddant: & huiuſmodi rationes, & computa ipſe quoque per ſe conſiderabit, ac diligenter examinabit, ac omnium ornamentorum, cenſus, & prædiorum cum ſuis terminis, ac finibus inuentarium, ſiue indicem libellum confici mandabit: &, vt vnico verbo vniuerſa concludam, omnibus opportuna remedia adhibebit: pro vt ei magis expedire videbitur. ac, finita Viſitatione, omnia, quæcunque ordinauerit, ac ſtatuerit, in Actis referri imperabit.

In primis autem Præſul, ſiue Viſitator in omni Eccleſia, Monaſterio, Hoſpitali, Societate, ſiue Confraternitate, & Heremo, ac omnibus alijs locis pijs, quos inuiſet, ordinabit, vt libri particulares fiant, ac diligenter conſeruentur, in quibus eo modo, quo diximus, huiuſmodi Viſitationis acta conſcribantur: quorum etiam duo exemplaria conficienda curabit, ad verbum inuicem collata: quorum alterum ibi relinquet, alterum vero per Notarium ſuum in publico Archiuio conſeruari mandabit, vt, ſi forte alterum amitti contingeret poſſint Viſitationum acta deſcribi ex altero. quod etiam in cæterarum Eccleſiarum viſitationibus obſeruandum eſt. &, pro faciliori inſtructione, cum Viſitatoris ipſius, tum eorum, qui viſitantur, poterit Viſitator, eo, qui ſequitur examine, vti: videlicet.

In primis habeat, & videat omnia nomina, & cognomina confratrum, fundationes, inſtituta, priuilegia, conſtitutiones, modum orandi, & gubernandi.

An habeant libros prædictorum omnium, & archiuium, ſin minus, fiant.

Recognoſcat redditus, expenſas, & onera.

Quot cappellanos habent pro oneribus ſoluendis.

Adminiſtratores quomodo conſtituantur.

Quomodo adminiſtratores, & confratres communionem frequentent.

An perpetui, an temporales, an debitores ſint miniſtri.

An habeant veſtes, & cuius coloris, & ſigni, quot omnes numero ſint, quas habent.

Quo modo adminiſtrent, an adminiſtrationis rationem, Ordinariò, quolibet anno reddant.

Videat computa de præterito, & ſtatus præſens notetur.

An omnes confratres habeant in eorum cappellis ſepulturas.

An ibidem omnes ſepeliantur.

An omnes cum veſtibus, ſeu ſaccis ſepeliantur.

An omnes confratres adſint.

Inuentarium bonorum omnium, & an innouetur.

Exemplum omnium ad verbum deſcriptum detur Viſitatori, & in libro Viſitationis deſcribatur.

---

## *Viſitatio Seminarij, ac Congregationis adoleſcentium. Cap. XCV.*

CVM Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Sacri Concilij Tridentini Patres pro Cleri reformatione ſtatuerint, ac decreuerint, [a] vt Epiſcopi in ſuis diœceſibus adoleſcētium congregationem in loco apto, & particulari inſtituant, adhibitis prçceptoribus, ac rectoribus, per quos & bene cuſtodiantur; & in bonis litteris, ac morum elegantia, ſuauitateq. inſtruantur, eo conſilio, ac ea ratione, vt nouum in Eccleſia Dei Seminarium fiat; quibus adoleſcentibus, ſic inſtitutis, ſuis loco, & tempore animarum cura demandaretur; cumque ſanctum hoc inſtitutum multi Præſules in ſuis Diœceſibus executi fuerint; Viſitatores, poſtquam omnes Eccleſias, ac Monaſteria, quarum illis cura connexa eſt, viſitauerint, ad hæc Collegia, ſiue Seminaria viſitanda ſe conferent.

[a] c. vult. ſeſſ. 23.

Vbi, perfecta, & conſiderata loci diſpoſitione, an ſit aptus, commodus, in loco honeſto, boni aeris, ac ſitus, perquiret, qui ſint electores, & primates illius Collegij, ſiue Seminarij, quibus onus recipiendi, & approbandi huiuſmodi adoleſcentulos incumbit, qui ad minus quatuor ſint.

An huiuſmodi Electores in recipiendis, & probandis adoleſcenti-

bus

bus rationem habeant natalium vniuſcuiuſque, & vt corpore integri ſint, abſque vlla deformitate, & ad diſcendas virtutes propenſi, vt ſint manſueti, nec iræ valde obnoxij, & in primis ad diſciplinam, & obedientiam bene diſpoſiti.

Interroget etiam, an in huiuſmodi approbatione conſiderent ingenij acumen, ac bonam indolem; & videat diligenter, ne bono publico, & ſpiritali, animarumque neceſſitati, potentium, & aliorum commendationes, & propriam ſuam vtilitatem præponant, non nullos approbando, ac recipiendo, qui prædictis qualitatibus carent, vt vel ab ijs, qui eos commendarunt, gratiam ineant, vel ſuis commoditatibus inſeruiant, vel, quod longe turpius, & deteſtabilius eſſet, aliquid inde lucrum, & emolumentum percipiant.

Exquiret etiam Viſitator, an, præmiſſis prædictis condicionibus recipiendorum, approbatio fiat ſecrete; &, qui recipitur, debet ſaltem tribus votis, ac ſuffragijs quatuor Electorum, quos ſupra diximus, approbari.

Perquiret etiam, an verus in eo Seminario, ſiue Collegio ſit Rector, & gubernator, qui toti illi Congregationi præſit; & an is diligenter in primis, & moderate ſuo munere fungatur; prouidendo tam ijs, qui interius animæ regimen, Omnipotentis Dei timorem, ſtudia, & bonos mores concernunt, quàm ijs, quæ ad exteriorem rerum familiæ, & opum adminiſtrationem pertinent.

Videbit etiam, an, cum adoleſcentulos recipiunt, in primis curent, vt, præmiſſa peccatorum ſuorum confeſſione, Deo reconcilientur, eoſque admoneant, quid agendum, quid obſeruandum, quid cauendum, quid denique præſtandum ſit.

Et, cum Rectori præſentantur, an faciant eos genuflectere ante Altare, ibi cum luminibus, & ornamentis præparato; atque ad obedientiam, & reliquas virtutes amplectendas hortentur; atque, his peractis, Hymnus, *Te deum laudamus*, totus ſubmiſſa voce cantetur: quo finito, verſiculus, & rationes Sanctiſſimæ Trinitatis recitentur; deinde verſiculus, & oratio Beatæ Virginis Mariæ, cum Pſalmo, *Magnificat*, & commemoratione Sanctorum Petri, & Pauli, & Sancti illius Seminarij, ſiue Domus Patroni, iuxta ritum, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur.

Atque, his peractis, perſonas viſitare incipiet, quas ſimul in vnum locum ad id aptum congregari, ac conuenire curabit; quos etiam omnes oratione ad id accõmodata hortabitur ad præſtandum ſedulo

munus ſuum, incipiens à Rectoribus, præceptoribus, & miniſtris; poſtmodum verò, ad adoleſcentes, qui ibi educantur, ſermonem conuertendo, eos ad pietatem colendam, ac litterarum ſtudia amplectenda inflammabit; vt conceptæ de ſe opinioni reſpondere poſſint; &, ſi quos ibi defectus repererit, eos omnes condemnabit.

Lectulos etiam diligenter viſitabit, conſiderando, an ſint benè, & concinnè diſpoſiti; atque iuxta loci amplitudinem, in debita proportione diſtent inuicem, ita tamen, vt omnes à Rectore ſiue Præfecto conſpici poſſint: qui & ipſe quoque in eodem cubiculo dormiet.

Videbit etiam, an ſinguli pro ſe ſeparatim dormiant; & an ſomnus ſeptimam horam excedat; & nocte ſemper in medio cubiculi lampas ardeat.

Illud quoque diſquiret, an adoleſcentes Rectori, veluti ſuo ſuperiori, obediant.

An manè, cum excitati à ſomno ſurgunt, ac alijs horis ad id potiſsimè conſtitutis, omnes ſimul orationi vacent.

An ſtudijs nauiter dent operam, & quo modo, & ordine, quas lectiones, & quorum auctorum libros præceptores interpretentur, & quid legant, aut in quo ſe exerceant illis horis, quibus à ſtudijs, ac lectionibus ſunt liberi, ac ſoluti.

An, dum comedunt, aliquis eorum ſacram aliquam lectionem alta voce legat, & cuius auctoris; vt ſimul cum corpore animus quoque paſcatur; idque ſingulis hebdomadis ſinguli præſtare debent.

Interroget etiam, quo pacto tempus diſtribuant, tam hiemali, quàm æſtiuo tempore.

Requiret etiam, an nocte locum, in quo adoleſcentes dormiunt, & reliqua loca communia Rector inuiſat; &, ſi vnus quiſque in ea domo, vel Collegio, ſuo munere fungatur, diligenter obſeruet.

An inferiores miniſtri ſuis præpoſitis obediant.

Videbit etiam, quæ ſit ratio, qui modus in victu, & veſtitu: & de omnibus bonis, tàm mobilibus, quàm immobilibus, quæ quouis modo ad Seminarij iura pertinent, nec non de cenſu, & opibus indicem libellum, ſiuè inuentarium conficiendum curabit.

In primis autem in huiuſmodi locorum viſitatione hoc animaduertet Viſitator, vt diligentiſsimè perquirat, quo pacto illi in communi conſuetudine viuant, quam curam, & diligentiam adhibeant Rectores, vt caſtè, pudicè, & honeſtè viuatur; quod eſt veluti baſis quædam, & fundamentum, cui huiuſmodi Seminaria, & Congregationes innituntur, vt ex D. Pauli verbis ad Timotheum conijcere licet:

cuius

cuius verba ſunt [a]: *Te ipſum caſtum cuſtodi*, & alibi [b], *Eſto exemplum fidelium in conuerſatione, in caſtitate.*

Exquiret etiam, qui modus in correptionibus, & pænitentijs iniungendis obſeruetur; qua methodo in cõfeſsionibus vtatur; an ſępius confiteãtur, quibus omnibus ſic diligẽter perſpectis, & cognitis, omnes tollet defectus, emẽdabitque, & ſingulis opportuna remedia adhibebit.

Demum Viſitator mandabit Præfecto, & Rectori Seminarij, vt hic mos perpetuo obſeruetur ab ipſis: videlicet, quòd Catechiſmus Romanus pueris, & adoleſcentibus, ſemper pręlegatur, & quàm diligentiſsimè explicetur, ita, vt nulla eius pars prætermittatur, eiuſque doctrina eorum animi imbuantur, quam fieri poteſt, omni maximo ſtudio.

Similiter, quòd magiſtri animaduertant ſemper legere lectiones morales, nec vnquam laſciuas, & profanas; & auctores non probatos reijcere.

Et, quando id commodè fieri poteſt, præter cætera, quibus ad pietatis exercitationem, & ad litterarum doctrinam adoleſcentium animi erudiuntur, ſtudio etiam ſacrorum rituum, hiſtoriaque omnis Eccleſiaſtica, certis ſtatis diebus inſtituantur: quæ clericalis ordinis hominibus maxime accommodata ſunt, & ad optimam religioſæ diſciplinę rationem neceſſaria.

a Paulus primæ ad Tim. c.4.
b Idem primæ ad Tim. c.5.

---

## *Viſitatio Montis Pietatis:*
## *Cap. XCVI.*

TANDEM, vt finem huic primę parti noſtræ Praxis demus, Viſitator, volens Montem Pietatis viſitare, diligenter aduertat, vt bona dicti Montis benè, debitè, & diligenter conſeruentur, & vt illa in pauperum, ac miſerabilium perſonarum detrimentum non pereant, ſed potius augeantur. Et, ne à noſtro principio operis aberremus, hæc, quę ſequuntur, ab omnibus adminiſtratoribus dicti Montis ſeruanda curabit.

Primo,

Primo, mandabit, ne pecunia dicti Montis alicui detur, niſi ſuper pignoribus maioris valoris vltra dimidium pecunię mutuatę.

Mandabit etiam officialibus dicti Montis, vt curent, quòd pignora ſingulo quoque menſe, & ſæpiſsime à puluere, & immunditijs purgentur: quia facile aliter corrumperētur: &, ſi,culpa illorum,pignora perierint, vel deteriora fierent, quòd de proprio,Montis ſatisfaciant.

Pecuniæ non dentur pro rebus publicis, quia difficilis erit exactio: & contrafacientes,de proprio, Monti ſatisfaciant.

Prefiget ſummam pecuniæ mutuandę Viſitator, ſecundum quantitatem, quā Mons poſsidet, ad hoc,vt omnes pauperes,& egentes ſentiant iuuamen dicti Montis.

Prohibeat etiam Viſitator, ne officiales arma, & libros pro pignoribus recipiant; quia nec illa domini redimere curant, nec, qui illa emant, inuenietur. Si ſecus officiales fecerint, pignora pro ſe recipiant, & de propria pecunia Monti ſatisfaciant.

Sex menſibus elapſis, ſi pignora à proprijs dominis non fuerint exacta, mandabit, quòd vendantur, ad hoc, vt alij etiam egentes poſsint cum pecunijs pręd ictis,ſuis neceſsitatibus conſulere. Quæ omnia ſi officiales exequi non curauerint, ſucceſſores non teneantur recipere dicta pignora, ſed priores officiales,de proprio ſatisfaciant Monti.

Si quis diuerſas quantitates pecuniarum, relictis varijs pignoribus, à Monte receperit, meliora pignora, peioribus relictis, releuare non permittant.

Et, ne fraus aliqua committatur, prohibeat, ne Montis pręfecti permittant pignora iam tradita mutare, & alia ipſorum loco tradere.

Et, ſi aliquod legatum pium fuerit Monti relictum pro expreſſa voluntate teſtatoris adimplenda, in certum opus pręfixum, vt in noſtra Ciuitate Andriæ reperitur, quòd teſtatores relinquunt certam pecuniarum quantitatem Monti Pietatis pro pauperibus veſtiendis, & maritandis,&c. voluntas teſtatoris ſeruetur, & omnia cum pręſentia, ſeu conſenſu Ordinarij diſpenſentur: prout ita per S. Congregationem, contradicentibus adminiſtratoribus,fuit deciſum,per litteras nobis directas.

Magiſtri, & adminiſtratores, ſeu officiales Montis, non per ſubſtitutos, ſed per ſe ipſos officium exerceant: quia, ſi in aliquo pręmiſſorum errauerint, non valeant excuſationem allegare.

Et, vt Montis prædicti indemnitati conſulatur, mandet, quòd officiales prædicti in fine cuiuslibet anni rationem exactiſsimam eorum admini-

adminiſtrationis reddant coram loci Ordinario, cum pręſentia ſucceſſorum in officio prędicto.

Et, ne bona ſtabilia dicti Montis pereant, ſed potius augeantur, mandet, vt fiat inuentarium, iuxta pręſcriptam formam cuiuslibet diœceſis.

Curabit etiam, & expreſſe mandabit Viſitator officialibus prędictis, vt libros bene diſpoſitos habeant, in quibus pignora, quę recipiuntur, & redduntur, deſcribantur; vt quòd bene conſeruentur, vt non pereant.

# DIRECTORII
## VISITATORVM,
## AC VISITANDORVM,

*Cum Formula, & Praxi Generalis Viſitationis,*
*Reuerendiſſimi Patris*

*D. LVCÆ ANTONII RESTÆ,*
*Epiſcopi Andrienſis,*

## PARS SECVNDA.
## In qua tractatur

DE VISITATIONE ECCLESIARVM,
Locorumq. omnium Diœceſis, & perſonarum; cum
quibuſdam alijs formis, & modis pro viſitan-
dis perſonis quibuſdam; cum ſolutioni-
bus multorum dubiorum.




INSIGNIA REVERENDISSIMI AVCTORIS.

# PRAEFATIO.

QVONIAM in ſuperiori parte actum eſt de Viſitatione Cathedralis Eccleſiæ, & aliarum Eccleſiarum, piorumq. locorum Ciuitatis, in qua methodum, ac praxim tradidimus, qua Epiſcopus, ſiue Viſitator vti debet tam in viſitanda eademmet Cathedrali Eccleſia, quàm alijs Eccleſijs, & locis pijs, quæ in Ciuitate ſunt: reliquum eſt modo, vt vna cum eodem Epiſcopo, ſiue Viſitatore, extra Ciuitatis mœnia egrediẽtes, quo pacto Diœceſis ſit viſitanda, doceamus: illud tamen lectorem interim admonentes, eam eſſe huius Viſitationis ſeriem, eum ordinem, vt omnia mutua quadam habitudine, ſibi inuicem reſpondeant. Qua propter, quæ in priori parte dicta ſunt de Viſitatione Cathedralis Eccleſiæ, mirum in modum Diœceſanæ viſitationi inſeruiũt. Nam, quæcumque ſuæ Diœceſis loca Viſitator inuiſet, in ijs principalem Eccleſiam eſſe omnes norunt, quæ Cathedralis ibi Eccleſiæ locum retinet. Hanc ergo eo ordine, eaque ratione viſitabit Epiſcopus, qua ſuam Cathedralem viſitauit. Idemq. de Hoſpitalibus, Confraternitatibus, & reliquis locis pijs cenſendum eſt. Quæcumque autem de Diœceſis viſitatione dicturi ſumus, ex earũmet ſerie vnuſquiſque facile colligere poterit, ea quoque ad perficiendam Cathedralis Eccleſiæ viſitationem conducere, ac vtilia, & quodammodo neceſſaria eſſe. Sed, ne tempus fruſtra teramus, iam ad rem ipſam accedamus: hinc exordium ſumentes.

## *Viſitator aduentum ſuum in vnamquamque Ciuitatem, oppidum, ac alium locum ſuæ Diœceſis, quò ſe confert, prius indicare debet: idq. qua ratione ſit præſtandum. Cap. I.*

QVEMADMODVM Chriſtus Dominus Saluator noſter, cum templum Domini in Hieruſalem viſitare vellet, duos ex diſcipulis ſuis præmiſit,[a] qui aduentum eius prænunciarent: ita Præſul, ſiue Viſitator in omnem ciuitatem, oppidum, & locum, quò erit ipſe venturus, nuncium cum literis Paſtoralibus ac mandato, manu Chirographi ſui, ac notarij, quem ſecum ad viſitationem peragendam ducet, ſubſcriptis mittat oportet; vt ſex, aut octo diebus ſaltem, plus minus ve, de aduentu ſuo ſubditi viſitandi certiores fiant; vt ſe ad viſitationem recipiendam congrue iuxta ſtatus ſui condicionem præparare poſſint, ac diligentius, quid vnicuique eorum ex officio præſtandum ſit, conſiderare, ac præmeditari, ne imparatos eos offendat Viſitator. Et Clerus quidem in ijs, quæ ad eum pertinent, Sacrorum vero præfectus, ſiue Sacriſta circa ornamenta,& alia,quæ in Eccleſia ad Dei cultum adhibentur; Procuratores vero, & Priores,ſiue fabricæ præfecti in ordinandis ſuis computis, tam quo ad cenſum, quàm quoad impenſas, ſedulam operam nauare poſſint. Tum vero, ſi qui in ijs locis aliquo excommunicationis vinculo fuerint irretiti,ſi quod teſtamentum,ſiue legatum pium re ipſa non fuerit executioni demandatum, ſi qua reſtitutio facienda erit,ſi eorum filij ſacro chriſmatis charactere non fuerint inſigniti, præſertim ſi Epiſcopus per ſe viſitationem peraget, ſi qua tandem alia publici, ac enormis delicti ſpecie fuerint detenti,omnibus prænunciandum aduentum ſuum Viſitator conſulit. Ita enim fiet, vt recta via errantes reſipiſcant, & ad Dominum conuertantur;& vnuſquiſque diligentius,vigilantiuſque munus ſuum impleat. Huiuſmodi

a Matth.c.21.

autem Paſtorales literæ, ſiue mandatum, quæ præmittenda monuimus, eo, quo ſequitur, modo poterunt fieri, mutatis aliquibus, ſiue demptis, vel additis, prout loci, temporis, ac rei occaſio, & opportunitas poſtulare videbitur, ſeruataque interim gradus ſui dignitate, prout Archiepiſcopus, Epiſcopus, ſiue eius Vicarius, vel Locum tenens erit is, qui viſitabit: ſed, ſi ſimpliciter per literas moniti fuerint, infraſcriptæ monitiones in principio Viſitationis in Eccleſia per notarium publicentur, ad hoc, vt omnibus innoteſcant; prout ſeruaui ego, cum Prouinciam Sabinen. viſitaui ex delegatione Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi D. mei Innici Auali Cardinalis de Aragona, tunc Epiſcopi Sabinen. prout infra eo c.4. continetur, ibi, N. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus.

N. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus, vel Epiſcopus huius, vel illius ciuitatis. vel N. Viſitator Generalis, & Vicarius huius, vel illius Ciuitatis, & Epiſcopatus pro Illuſtri, & Reuerendiſſimo N. Epiſcopo eiuſdem Ciuitatis &c. Vobis, omnibus, & ſingulis Reuerendo Capitulo, & Clero, nec non magnificis Gubernatoribus, Syndicis, Electis, & Procuratoribus, Prioribus, & hominibus, ac Vniuerſitati Eccleſiarum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, Montis Pietatis, Confraternitatum, ac cæterorum piorum locorum in iſta ciuitate, oppido, ſiue loco Deo dicatorum, ſalutem in Domino. Noueritis, quod nos die N. poſt meridiem Deo adiuuante iſtuc venire cogitamus ad viſitandam Eccleſiam, ſiue Eccleſias, populum, ac viros ipſius ciuitatis, oppidi, ſiue loci. Qua propter hortamur vos, ac in virtute ſanctæ obedientiæ, vobis committimus, & mandamus, vt vos ad ſanctum Viſitationis officium peragendum præparetis; (vt bonum Chriſti gregem, ac obſequentes, obedienteſque filios decet) inobedientes vero, ac rebelles omnes, & ſingulos excommunicationis pœna multamus. Datum, &c.

Nuncius vero, ac Tabellarius, qui huiuſmodi ordinis, & decreti literas, ſiue mandatum perferet, hoſpitium in ea ciuitate, oppido, ſiue locum præparandum curabit, vbi Viſitator commode cum ſuis commorari poſſit, ac reliqua ad uictum neceſſaria, & opportuna præparabit: id quod æquum, ac rationi conſonum eſſe ſupra demonſtratum eſt. [a] qua in eum adhibebit modum, ut ſe ſemper ad laudabilem ipſius loci, ac populi conſuetudinem accommodet.

[a] In prima part. c.3.

Quomodo

## *Quomodo Prælatus, ſiuè Viſitator, cùm ad uiſitandum venerit, ſit recipiendus prima vice. Cap. II.*

QVEMADMODVM Redemptori noſtro, cùm ad inuiſendum Dominicum templum in Hieruſalē proficiſceretur, populus iubilans occurrit, ac eum, gaudens, & Oſanna benedictus, qui venit in nomine Domini, cauendo [a], ſollemnique pompa veſtes, ac varios arborum ramos ad leuandum itineris laborem proſternendo excepit: ita adueniente Viſitatore Apoſtolico, vel Epiſcopo prima vice ad aliquam ciuitatem, vel oppidum, ſiuè locum, ſi fuerit Epiſcopus, debet eum Clerus omnis, ac populus, Cruce præeunte, & pulſu ſonantibus campanis honorificè excipere, ac honoris gratia cantando extra Eccleſiam, quantum pro loci, ac perſonæ dignitate decere videbitur, obuiam ei prodire. Prælatus verò ſub Baldachino incedens ad illius Eccleſię portā in loco ad id potiſſimùm pręparato, ac congruè ornato, ante Crucem, ſiuè ſanctorum reliquias genuflectat, quas etiam ſibi porrectas deoſculabitur: poſtea, miniſtrante ei aquam benedictam digniore illius Eccleſię Præfecto, aſtantes aſperget, ac incenſo per Epiſcopum benedicto, ac in Thuribulum infuſo, ab eodem met illius Eccleſię digniore Pręfecto Epiſcopus incenſabitur, ac Sacrum Ieſu Chriſti Euangelium ſibi per eundem oblatum deoſculabitur. Quibus omnibus ſic peractis, duo ex dignioribus illius Eccleſię medium Viſitatorem ſumentes, atque hinc inde vnus à dextris, & alter à ſiniſtris incedentes in Eccleſiam ducent, reliquis interim conuenienti ordine partim pręcedentibus, partim verò ſubſequentibus. Cumque ad Altare maius ventum fuerit, dum Epiſcopus ante ipſum genuflexus, ac proſternatus orabit, interim Clerus ſequens reſponſorium cantabit.

[a] Matth. c. 21

℟. Sacerdos, & Pontifex, & virtutum opifex, Paſtor bone in populo, ſic placuiſti Domino, intercede pro nobis; aut aliquod aliud ſimile, prout magis ei videbitur.

V. Protector noſter, Aſpice Deus.

R. Et reſpice in faciem Chriſti tui.

V. Domi-

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus, humilium viſitator, qui nos paterna viſitatione, & dilectione conſolaris, oſtende Societati noſtræ gratiam tuam; vt per eos, in quibus habitas, tuum in nobis ſentiamus aduentum. Per Dominum noſtrum.

Quibus actis, Viſitator ſurgit, & pluuiali violaceo, & mitra ſimplici induitur, &, habito ſermone ad populum, vel ab ipſo, vel ab alio, vnà cum clero, & populo, fit proceſſio per Eccleſiam, & cœmeterium, cum ſuffragijs ad abſoluendas animas defunctorum, prout habetur in Pontificali ſub eadem hac rubrica, & ſupra in prima parte dictum fuit [a].

[a] Part. prima ſup. c. 4.

Poſtea, ſi Viſitatoris erit, cui benedictio competat, ſtans ſollemniter aſtantibus benedicet, ac indulgentias publicabit; ac poſtremò, comitandibus omnibus, eodem, quo ventum eſt, ordine domum redit, ac interim, quæ ad perficiendam viſitationem neceſſaria ſunt, diſponit. Animaduertendum tamen eſt, hos omnes ritus & cęrimonias, quas commemorauimus, tunc obſeruari ſolum, cùm Viſitator Epiſcopus fuerit. Quòd ſi eius Vicarius, vel alius quiuis locum tenens fuerit, prętermittantur cęrimonię prædictę, ac ſollemnitates; ſatiſque erit eum mediocri ſollemnitate, ac pompa excipere; quæ maior, minorue adhiberi poterit, prout Viſitantis qualitas, ac dignitas poſtulare videbitur. Sed nos interim ad rem noſtram redeamus.

Veſpere eiuſdem diei Viſitator ad Eccleſiam inuiſendam, ac perluſtrandam ſe conferet, illiuſque diſpoſitionem ædificij, defectus, ſi qui ſint, ac reparatione, ac reſtauratione indigeat, inſpiciet, ac diligenter omnia conſiderabit. An iuxta ritum Sanctæ Romanę Eccleſiæ huiuſmodi Eccleſia ſit conſecrata, perquiret. An cœmeterium habeat, quod quadraginta paſſibus intendatur, iuxta ſacrorum [b] Canonum conſtitutiones. An benè diſtinctum ſit, & ſegregatum, nec à rebus profanis occupatum; prouidebitque, ne quouis modo immunditiæ prope cœmeterium inijciantur. Id enim præterquã quod requirit honor, ac reuerentia, qua loca omnia ſacra proſequi tenemur, vel hac vna ratione tamen præſertim prętandum eſt, quia ibidem plerunque contingit proceſſiones fieri, vel in honorem Sanctiſſimæ Euchariſtię Sacramenti, vel pro ſuffragijs defunctorum iuxta laudabiles, ac optimas vniuſcuiuſque Eccleſiæ conſuetudines, ac ritus, &, vt vnico verbo vniuerſa concludam, ſeruetur in hoc, quicquid per ſacros Canones ſtatutum eſt. Illud interim monentes, in Cappellis, & Eccleſijs, quæ nec Cathe-

[b] 17. q. 4. c. ſicut antiquitus.

drales,

drales, nec parochiales ſunt, tantum cœmeterij ſpatium non requiri. quamuis nullo pacto ſit concedendum, domos laicorum quouis queſito colore cœmeterijs adhærere: eademque prorſus eſt eis adhibenda reuerentia, quam paulo ante diximus. Curabit etiam Viſitator, antequam domum reuertatur, vt per Iuratos, vel Tubicines illius Ciuitatis, vel oppidi, in locis publicis indicetur, vt craſtina die, lætitiæ, & ſollemnitatis ſigna edant, nec ab re eſſet in ijs locis, in quibus homines, paſſim extra ciuitates, ſiuè oppida degunt, Viſitationem die Dominico auſpicari, ac incipere, aut aliquo die ſollemni, quo diem Feſtum celebrare omnes Eccleſiæ præcepto tenerentur; ſtatuendo, & ordinando, vt omnes, qui duodecimum ætatis annum exceſſerint, ad ſignum campanæ ad audienda Diuina Officia conuenire ad Eccleſiam tenerentur, ſub pœna excommunicationis, vel quauis alia eius arbitrio imponenda, aut infligenda, quam reſtaurandæ illius Eccleſiæ, quam viſitabit, applicare poterit; ac contumaces punire in omnibus illis, quę ad ſuum ſpectant officium, iuxta ſacrorum Canonum [a] decreta, ac doctorum placita [b]: alioquin Viſitatoris iuriſdictio [c], ridicula prorſus, ac nullius eſſet auctoritatis. cui enim committitur principale, & acceſſorium quoque committi videtur: vt ex ſacrorum Canonum [d] auctoritate colligere licet. Poſtremò Sacriſtę imperabit, vt, cum veſperi ad Salutationem Angelicam pulſatum fuerit, omnes campanas ſollemniter pulſandas curet, prout in diebus feſtis, ſiue vigilijs magnarum Eccleſię ſollemnitatum, ac ſollemnium Eccleſię feſtorū conſueuit fieri; vt Chriſti fideles ad conueniendum, alacriori animo incitentur, & ad præſtandum, quod publicè indictum fuerit, promptiores reddantur.

a c. Romana. de pænis. in 6.
b Archid. Io. And Ber. Innoc. & Hoſtien.
c 1 c. ex literis de offic. iudic. deleg.
d c de cauſis c. prudent. §. ſi vero de off. deleg

Quando,

## *Quando, cum aliquò Viſitator iam peruenerit, Eccleſiæ viſitationem debeat incipere: tum de Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti viſitatione. Cap. III.*

QVAMVIS tota, quę per Epiſcopum, vel eius Vicarium fit viſitatio, tribus potiſſimùm partibus abſoluatur, nempè Eccleſia, Clero, Populo viſitandis: tamen ea eſt earum natura partium, vt nulla earũ tam diſtinctè fieri poſsit, quin ſimul omnes aliqua in re concurrant. quod etiã temporis breuitati plurimum oonducit, cùm pręſertim fit viſitatio locorum Diœceſis, & pręcipue ſi ſint oppida, ad minuendos ſumptus, & nõ nunquam etiam, vt officij ſui dignitatem retineat Viſitator; vt infra docebimus, cum de methodo, ac forma, quibus illi in huiuſmodi Viſitatione vtendum erit, verba faciemus; pręter ea, quæ ſuperius dicta ſunt de Cathedralis Eccleſię viſitatione. Proxima igitur ſequenti die, ſine vlla, nec minima quidem, temporis iactura, cùm campanę ſono dato ſigno populus frequens ad Eccleſiam conuenerit, ſicut in ſollemnibus Eccleſię feſtis diebus fieri ſolet, Prelatus, ſiuè Viſitator, cum duobus ad minus Coaſſumptis, ad Eccleſiam ſe conferet; ibique vel ipſe rem ſacram peraget, vel ab alio Sacerdote ſollemni ritu factam audiet: qua finita, niſi forte ipſe celebraſſet, ſtola, ac pluuiali ſuper rocchetum indutus cum mitra pretioſa, ſi ſit Epiſcopus; ſin minus, cum ſuperpellicio, & ſtola, comitantibns Sacerdotibus, & Clericis omnibus, ac tot luminibus adhibitis, quot iuxta loci illius facultatem ſufficere ſibi videbuntur, ac ſumpto Thuribulo, proceſsionaliter ad viſitandum eum locum pergit; vbi Sanctiſsimum Euchariſtię Sacramentum conſernatur, ac cuſtoditur; ibique genuflectentibus omnibus, Viſitator, ſi fuerit Epiſcopus, mitra depoſita, dicit:

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
R. Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.

Poſtea

Poſtea Viſitator incipit Pſalmum:

Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Quem alternatim cum miniſtris, & aſtantibus ad finem vſque complet.

Deinde dicat: V. Emitte ſpiritum tuum,& creabuntur.

R. Et renouabis faciem terræ.

V. Memento Domine in beneplacito populi tui.

R. Viſita nos in ſalutari tuo.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiſcum. R. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus, qui corda fidelium, ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti; da nobis in eodem Spiritu recta ſapere,& de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Deinde:

COnſcientias noſtras, quæſumus, Domine, viſitando purifica,vt veniens Dominus noſter Ieſus Chriſtus paratam in nobis inueniat manſionem. Qui viuis, &c. Deinde dicat orationem illius Sancti, & Sanctæ, in cuius honorem Eccleſia illa Deo dicata fuerit: & in fine addat, Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. Amen.

Quibus peractis, ſurgunt omnes, & Viſitator ad viſitandum Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtię accedit, &,ſumpta claui, locum, vbi cuſtoditur, aperit,illudq́; ea, qua decet,reuerentia inde educit:& vel ipſe per ſe, vel cantores canunt: *Tantum* [a] *ergo Sacramentum Veneremur cernui:* & hymnum ad finem vſque canendo perducunt. Interimque Viſitator, ſumpto thuribulo, à Thuriferario ſibi oblato, genibus flexis Sanctiſſimum Sacramentum incenſat. Deinde, adhibita omni reuerentia in viſitando Sanctiſsimum Sacramentum,hæc potiſſimùm conſiderabit: nempe,loci, in quo illud conſeruatur,ac cuſtoditur, diſpoſitionem, ac aptitudinem; modum cuſtodiendi perquiret; videbitque, an ſpecies, (quod abſit) ſiuè accidentia ſint corrupta; an particulæ ſint rotundæ, vel alterius qualitatis;an paucæ, vel multę, iuxta loci, ac Parochiæ indigentiam, ac neceſsitatem infirmorum, prout anni tempus refert, conſeruentur. Curabitque corporalia ipſa, ſuper qubus Sanctiſſimum Sacramentum conſeruatur,adhibita patena,euacuari, & diligenter conſiderari;vt videri poſsit,an ibi ſint reliquię aliquę, vel fragmenta:exquiret etiam,viſis tamen prius palla, & corporali,an ab omni immunditie illęſa,& recentia, ac munda conſeruentur,& an ipſa,omniaq; alia ad Diuinũ cultum neceſſaria per Sacerdotem ſuper ſacrarium lauentur ac mundentur. Illud etiam interrogabit, an Sanctiſs.Sacramentũ quindecim dierũ ſpatio,& hieme ſingulis quibuſque duabus,vel tribus hebdomadis,plùs,minuſve,innouetur; & tũc,an particulę ſint recẽtes,eodẽ met die,an pauloante confectę. Tandẽ,vt breuiter omnia cõ-

[a] Sic ſupra p. p. 125. vide as ibi.

A a cludam,

cludã, in viſitãdo Sanct. Sacr. ſacris oleis, fonte baptiſmali, ſanctorũ reliquijs, ac reliquis, quæ ibi erunt, vtetur Viſitator eadem prorſus methodo, ac praxi, [a] quam ſupra tradidimus, cum de Cathedralis Eccleſiæ viſitatione ageremus, interrogatoria ibi poſita, vel omnia, vel ex parte adhibendo, prout magis ei expedire videbitur.

a Part. prima c.9. & ſeq.

Tandemque Viſitator, ad augendam Chriſti fidelium pietatem, ac religionem ſollemniter ibi, ſi ita videbitur; benedicet, canentibus interim cantoribus partem illius hymni, *Genitori genitoque, &c.*

Cumque ad illud verbum peruentum fuerit, *Sit & benedictio*, tunc Sacramentum manibus tenens benedicet populo. Hiſque ita peractis, Sanctiſſimum Sacramentum reponet: deinde dicet:

V. Saluos fac ſeruos tuos.
R. Deus meus ſperantes in te.
V. Mitte eis Domine auxilium de ſancto.
R. Et De Syon tuere eos.
V. Domine exaudi orationem meam,
R. Et clamor meus ad te veniat.
V. Dominus vobiſcum.
R. Et cum Spiritu tuo. Oremus.

Prætende, Domine, miſericordiam tuam famulis, & famulabus tuis, dexteramque cæleſtis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, conſequantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. Amen.

---

## *Qua methodo intendum ſit in peragenda generali perſonarum viſitatione in Diœceſi. Cap. IV.*

VISITATIS ea ratione, ac praxi, quam ſupra tradidimus, Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, Sanctorum reliquijs, fonte baptiſmali, ſacriſque oleis, ac reliquis in Eccleſia, ſacrario, cappeliſque vt dictum eſt, [b] cum de viſitatione Cathedralis Eccleſiæ tractaretur; Viſitator ipſe, ſiue ſit Prælatus, ſiue eius Vicarius, ſecedens in locum remotum eiuſdem Eccleſiæ, ſi tamen oppidum erit paruum, & incolæ,

a Supr. part. prima c.4. & ſequen.

colæ,tam clerici, quam laici pauci erunt; ſi autem locus ſit magnus, & amplus, & incolarum numerus frequens, domi hæc peraget, vbi concionem conuocandam curabit, ibique diligentius conſiderata temporum qualitate, ac moribus, ingenijſque illius populi, perquiret, quibus potiſſimum vitijs ciues, & incolæ loci illius paſſim detineantur, eoſque, conuocata concione, breuiter hortabitur, ac monebit, vt munus ſuum implere, quantum in ipſis eſt, ſatagant; quod facere tenentur, re ipſa præſtent; quæ fugienda ſunt, caueant, ac vitent; prout Sacrorum [a] Canonum decreto ſancitum eſt: eoſque reprehendet, & exhortabitur plus minus ve, pro vt Dominus Deus os, & ſapientiam illi ad id agendum præbebit. Et, quoniam Prælatus viſitãs, ſiue eius Vicarius debet præcipue reformandæ, ac innouandæ hominum vitæ vacare; cum certum ſit, omnium animas, iuxta eorum opera, quæ in corpore egerunt, vel æterna vita donandas eſſe, vel ſupplicijs æternis addicendas [b], propterea Viſitator, vt facilius ſcire poſſit, ac cognoſcere publica crimina, quæ in eo loco vigent, quem inuiſit, ac cætera, quæ ad perficiendum ſanctæ Viſitationis opus neceſſaria ſunt, exequi, litteras per generale edictum decernet, quas etiam publice per Notarium, cuius opera in Viſitatione vtitur, legendas curabit, ac populo inſinuandas. Harum autem litterarum, ſiue edicti ſeries ad ſubſequentis exemplar, ac normam confici poterit: mutatis tamen interim nonnullis, & adiectis, demptis ve, prout ciuitatis illius, oppidi, ſiue loci neceſſitas, qualitaſue poſtulare videbitur.

a c. Romana de cenſ. in 6. §. ſene.

b Io. cap. 5. & Matth. c. 25.

Monitiones generales ſunt præmittendæ, prout ſupra docuimus in prima parte, cap. vij. fol. 15.

---

## *Viſitatio prædicorum, fabricæ, accenſus Eccleſiæ. Cap. V.*

ILLVD etiam Viſitatorem perquirere æquum eſt: An ſcilicet fabricę, & ędificijs Eccleſię aliquis cẽſus ſit proprius, & cui potiſſimũ incumbat onus reparationis, conſeruationis, & constructionis eiuſdẽ Eccleſiæ, curabit ſe certiorẽ fieri. Quòd ſi cõpererit aliqua prædia fabricę applicata, perquiret, an à quoquã occupentur, & an diligenter ea colant, omnibuſque, prout opportunum videbitur, prouidebit, ac de omnibus

indicem libellum, ſiue inuentarium faciendum mandabit, in quo diſtincte, ac congruo ordine, prædia, vineas, domos, vna cum ſuis limitibus, ac terminis, menſuriſque, ac reliquis, nec non & cenſus rationem, ac omnia alia bona, tam ſtabilia, quam mobilia, quouis modo ad dictam Eccleſiam, fabricam ve pertinentia, redigi curabit: ſin autem nulla ſint prædia certa, nullus certus cenſus, ſed fabricæ expenſas Epiſcopus, Canonici, & beneficiati ſubminiſtrare teneantur, illius vtilitati conſulet, prout tunc magis ei expedire videbitur. Et, quoniam longa dies multa ſolet afferre incommoda, tempore omnia conſumente, poterit Viſitator aliquam cenſus partem congruam, & honeſtam pro Eccleſiæ reparatione aſſignare, habita ratione qualitatis, ac quantitatis illius cenſus, & illius Eccleſiæ diſpoſitionis, ſæpius enim compertum eſt, Eccleſias, hac vna ratione, quia ſcilicet proprium cēſum non habēt, nunquam reparari, ac reſarciri, donec ita corruant, ac deſolentur, vt ad eas reſarciendas multorum annorum cenſus poſtea non ſufficiat.

## *Quomodo Miniſtri adminiſtrati cenſus Eccleſiæ rationem reddentes ſint audiendi.* *Cap. VI.*

POSTQVAM Viſitator, omnium, quæ ab Eccleſijs poſſidentur, indicem libellum, ſiue inuentarium faciendum curauerit, ornamentaque, ac ſcripturas, ad Eccleſiarum iura pertinētes, inuiſerit, à miniſtris perquiret, vt adminiſtrati cenſus Eccleſiæ, ac fructuum perceptorum rationem reddant, iuxta laudabilem illius loci conſuetudinem, & Sacroſancti Tridētini [a] Concilij decretum, per quod omnia, quæ incidere poſſent, impedimenta tolluntur. Pro cuius rei executione, œconomum, vel Priorem, ſiue Theſaurariū illius Eccleſiæ, præſentibus ibidem Presbyteris prædictæ Eccleſiæ, & aliquibus laicis ex ſenioribus, & prudentioribus, ac cæteris omnibus, qui intereſſe volent, in locum publicum, & patentem venire curabit; &, delato iuramento illi primum, cui rationis reddendæ onus incumbit, (quod ſine fuco, & fallacia præſtabit) deinde nonnullis ex aſtantibus

[a] c. 9. de ref. ſeſſ. 22.

tibus ad id potiſſimum conuocatis, quòd vera dicent in his omnibus, quæ illi Eccleſiæ vtilia eſſe cognoſcent, nec vllo pacto fraudi vlli conſentient, Notarius, computa, & rationes in libro Viſitationis, eo, qui ſequitur, modo adnotabit.

Primo ponet rubricam hoc modo: Computa, & rationes per N. œconomum, ſiue Priorem, vel Theſaurarium Eccleſiæ N. redditæ hoc anno tali præſenti N. epiſcopo, vel Viſitatori, Viſitationis munus continuanti, & præſentibus ibidem N. N. vocatis, & deputatis, vt intereſſent, ac aſſiſterent præuio iuramento. Deinde ſequetur: Epiſcopus, ſiue Viſitator ab eodem N. œconomo, ſiue Priore, vel Theſaurario intellexit, ac cerior factus eſt, fundum oliuarum hoc anno dediſſe centum &c. valoris tot ducatorum; vt puta, non gentorum aureorum.

Item, ex eleemoſynis tot, verbi gratia trecentos aureos habitos fuiſſe, & ſic in ſingulis, ex quibus fructus aliquis percipitur, procedendo, viſis, ac percurſis omnibus, in fine epilogabit: Totus ſupra dictus huius Eccleſiæ cenſus, aſcendit ad ſummam valoris ſcutorum tot: vt, exempli gratia, mille nongentorum &c. Subiunget poſtea immediate totius exitus rationem, omnes expenſas factas computando, illas expenſas admittendo, quæ admitti de iure debent; & inutiles, ac factas abſque ordine Superioris, & quę non deberent fieri, nou admittet. Quibus demptis, ſummam faciet totius iuſti exitus. In calce quorum ſubiunget: Qua propter, viſo omni cenſu Eccleſiæ, viſis, ac conſideratis expenſis, ſiue exitu, repertum eſt, Dominum N. eſſe debitorem in ſumma, & quantitate ſcutorum tot. quam quidem ſummam committimus, & mandamus, vt tot dierum ſpatio eidem Eccleſiæ, vel ei, qui illius nomine recipiet, perſoluere, ac reipſa dare ſine vlla retentione teneatur, ſub pœna &c. Sin autem reperiet exitum, ſiue expenſas, cenſus rationem excedere, œconomo, ſiue Priori, vel Theſaurario futuro imperabit, vt ex redditibus illius Eccleſiæ ſoluat illi, quicquid amplius in ſua adminiſtratione pro Eccleſiæ vtilitate, atque honore de ſuo erogauerit.

Qua Viſitatione ſic peracta, nouem œconomum, ſiue Priorem, vel Theſaurarium, iuxta laudabilem illius loci conſuetudinem, inſtituet, re prius cum illis, ad quos id ſpectat, maturius collata, & habitis illorum votis: idque, ſi huiuſmodi Viſitatio in tempora, quibus mutari ſolent miniſtri, incideret, eoſque ad præſtandum iuramentum, quòd fideliter officio ſuo fungentur, impellet, ac ad ſatiſdandum, niſi pro ſe ad cautionem idonei ſint, coget. Sin autem Theſaurarius, Prior ve, ſiue œconomus, qui tunc temporis rationem reddet, nondum adminiſtra-

miniſtrationis ſuę ſtatum tempus percurrerit,ſed medium plus,minuſue reſiduum ſit,tunc Viſitator ei imperabit, vt tam illius anni, quàm præteritorum annorum, & reſidui rationes, & computa ſucceſſori ſuo tradat.

Cumque hoc modo cēſus totius rationem confecerit,ac œconomo, vel Priori, ſiue Theſaurario tradiderit, vel is ſit, quem tunc ipſe inſtituit, ac creauit; vel is,quem in huiuſmodi adminiſtratione, ſiue officio repererit, ac confirmauerit, tunc expreſſe Viſitator ei imperabit, ne ſine Pręlati ſui licentia cenſum, ac prædia illius Eccleſię alicui de nouo locet; nec quouis alio modo, ſiuè ad certum tempus, ſiuè perpetuo, alienet; ac alia exequetur, quę ſub titulo de rebus Eccleſiæ non alienandis continentur: cui etiam Sacroſancta Tridentina [a] Synodus adſtipulatur, ac alibi Summorum Pontificum decreta conſentiunt. Locationes autem,quæ inpoſterum fient, ſub haſta, & ad lumen candelæ fieri curabit. Quòd ſi vineę, vel fundi oliuarum erunt locandi, condiciones in locationibus apponet,quæ in illis colendis ſeruandæ erunt ab ijs,quibus locantur. Sin vero prædia erunt; ne locatio ſecundum, vel tertium annum ad ſummum excedat, [c] cauendum erit. In primis autē obligentur,& teneantur ij, quibus Eccleſiæ bona locabuntur, limites ac terminos cuſtodire; &, ſi a quopiam immutentur, rumpantur ve, aut ſi quę arbores,prædij ve pars occuperur,ad dictam Eccleſiam,ſiue illius miniſtros ſtatim de ferre teneantur.

a Seſſ.25. ca. 11.

b Extrauag. ambitioſi pa- Eccl. 2.eod. tit.

c Dicta extr. ambi.de reb. vide.nō aliē.

Pręterea, ſi quando Viſitator reperit à miniſtris redditam eſſe rationem Archipreſbytero,vel alicui alteri Viſitatori, conſuetudinis, aut priuilegij alicuius virtute,rationes illas omnes, & computa publice coram Clero,ac populo diligenter conſiderabit, ac percurret. ſi bene redditas rationes,ſi nullam fraudem commiſſam reperiet, ea auctoritate ſua comprobabit,& debita pœna illius negligentiam multabit, qui huiuſmodi rationes, & computa admiſerit, ac probauerit.

## *Viſitatio beneficiorum, ac prædiorum Eccleſiæ. Cap. VII.*

EXPEDITA rerum omnium, quas ſupra commemorauimus, viſitatione, ſi generaliter, quod ſequitur, præſtare volet, ac ſe quàm primum expedire, prout loci, rei, ac temporis opportunitas poſtulabit, omiſſis rebus particularibus, quas ſupra iam diximus, perquiret, quot beneficia, & dignitates, quot Canonicatus, & præbendæ in illa Eccleſia ſint, qui numerus eorum, (ſi qui ſunt,) qui menſæ communis participes ſunt; titulos, ac inſtitutiones diligenter perſerutando, ac diſcutiendo. qui dignitates huiuſmodi, & beneficia in titulum, & poſſeſſionem tenent, an reſideant. Quòd ſi quos forte ob aliquam cauſam ibi non reſidentes repererit,[a] videat, an beneficium illius huiuſmodi ſit, vt per Vicarium, ſeu ſubſtitutum regi poſſit, ac gubernari. huiuſmodi etiã Vicarium ibi reſidentem, aptum, idoneum, ac ſufficientem ad illud onus ſubeundum eſſe oportet. Quòd Viſitator conſiderabit, videbitque & an ibi habitaà Prælato ſuo licentia maneat, iuxta Sacrorum [b] Canonum præcepta. Quòd ſi Eccleſia ex ijs erit, quibus animarum cura commiſſa eſt, curabit, vt Tridentini Concilij decretum [c] inuiolabiliter ſeruetur. cuius etiã diſpoſitionem, ac leges, in omnibus ſibi præ oculis ponet, ac ſeruandas omnino proponet, ac imperabit, ſiue Cathedralis Eccleſia, [d] collegiata ve fuerit, ſiue parochialis.[e] omnibus enim Tridentina Synodus opportuna remedia adhibuit. Si quos autem errores, defectus ve reperiet, illos emendabit, accorriget, iuxta iuris communis, ac Synodalinm illius Epiſcopatus Conſtitutionum methodum, ac Sacri Concilij Tridentini [f] decreta, quæ omnino inuiolabiliter ſibi, ac omnibus nouerit ſeruanda.

Interrogabit etiã, an huiuſmodi beneficia poſſidentes rem ſacram faciant, ac Diuinis officijs vacent ac obligationibus, impoſitionibuſq; beneficijs illis annexis, iuxta illorũ inſtitutiones, ſatisfaciãt, Archipreſbytero, vel Præpoſito, Priori ve, ſiue alteri, cui defectus notãdi cura cõmiſſa fuerit, iuramentũ deferendo, quod fideliter omniũ defectus notauerit. Si quos autem defeciſſe, ac iniuncto ſibi muneri non ſatisfeciſſe

a Tot. tit. de cleric. non reſid. & cõcord. trid. ſeſſ. 23. c. 1. de refor.

b cap. relatũ cum reliquis de cle. non reſiden.

c c. 2. de ref. ſeſſ. 23. præalle.

d c 4. de ref. ſeſſ. 22. & c. 12. & 15. ſeſſ. 24.

e c 4 5. 6. de reſor. ſeſſ. 21.

à c. 47. de ref. ſeſſ. 24. & alibi.

f Vt ſupra.

deprehenderit; ſi huiuſmodi defectus circa Miſſarum celebrationem contingeret eueniſſe, eas intra certum tempus celebrari ab ijs, qui defuere, impoſita arbitraria pœna, imperabit. Reliquos verò defectus corriget ad normam Synodalium illius Epiſcopatus conſtitutionum, beneficiorum etiam fructus (ſi ita neceſſarium videbitur) ſequeſtrando, habita ratione illius ſummæ, quam pro huiuſmodi defectu perſoluere tenentur.

Quòd ſi fortè Priorem, aliumve, cui defectus huiuſmodi notandi cura demandata eſt, negligentiorem fuiſſe deprehenderit, præteritam quidem negligentiam debita pœna mulctabit. In poſterum verò, ne huiuſmodi errores committantur, librum faciendum, ac apud eundem cuſtodiendum mandabit, in quo huiuſmodi defectus diligentiſsime adnotentur.

Pari ratione, vineas, territoria, oliuarum fundos, ac reliqua prædia ad prædicta beneficia ſpectantia inuiſet, illorum indices libellos, ſiue inuentaria inſpiciendo, ſi facta offenderit; ſin minus, facienda curabit, iuxta ea, quæ in ſuperioribus à nobis dicta fuerunt.

Circa prædia ad fabricam Eccleſiæ ſpectantia inquiret, an congruè reparata, ac reſarcita fuerit, an ſtatutis temporibus ea colant, an ab aliquo aliqua in parte, vel omnino occupentur, omneſque tàm beneficia obtinentes, quàm eorundem procuratorum, ac inſtitorum defectus emendando, ac corrigendo. Quod ad fructus attinet, ſi à quopiam malè, ac indebitè preceptos, ac occupatos intellexerit, vindicandos intra certum tempus, & recuperandos curabit, mandabitque, iuxta Sacrorum Canonum decreta, ac Synodales conſtitutiones. quo termino elapſo, ni paruerint, fructus beneficiorum eorum, qui contumaces fuerint, ac parere recuſauerint, ſequeſtrari imperabit, mandabitque, vt, quæ per Viſitatorem conſtituuntur, nouerint omnes executioni eſſe demandanda [a], appellatione non obſtante.

[a] Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 1. de ref. ſeſſ. 22. c. 1. de ref. ſeſſ. 24. c. 10. de ref.

Viſitatio

## *Viſitatio Cappellarum, quibus cenſus in Eccleſia eſt conſtitutus, in alia breuiori forma.* *Cap. VIII.*

QVONIAM Epiſcopus ſecundum iuris communis diſpoſitionem, patronus, & tutor eſt animarum defunctorum; propterea æquum erit, vt Eccleſiarum in ſua Diœceſi exiſtentium cappellas viſitet. quod ſi celerius, & compendioſè perficere volet, poterit id hoc modo præſtare; niſi maluerit fortè eam methodum, ac praxim ſequi, quam ſuperius tradidimus [b], cum de Cathedralis Eccleſiæ viſitatione tractaremus. Cum igitur huiuſcemodi viſitationis initium faciet, in primis perquirat oportet, quot in Eccleſia, cuius viſitationi inſiſtit, ſint cappellæ: tum, quę, quantaque ſit cuiuſque dos, & à quibus data, & relicta fuerit, quoties in illis rem ſacram facere teneantur. An ſtatutis diebus hebdomadæ, & quibus. An in alicuius Sancti honorem. An vero pro defunctis huiuſmodi ſacra ſint peragenda. Qui nam illas in titulum poſſideant. An huiuſmodi rectores cappellarum, & qui illas in titulum obtinent, per ſe, an verò per ſubſtitutos, idque de Prælati ſui licentia, illis inſeruiant. Tum vero, ſingularum fundationes, ſiue conſtitutiones diligenter conſiderabit, examinabitque, & an onera, & conditiones annexas ſeruent, iuxta Sacrorum Canonum decreta [c], ac Doctorum [d], prę ſertim verò Gabrielis [e] ſuper Canonem Miſſæ. Priorem verò, ſiuè alium, cui onus incumbit eos notandi, qui huiuſmodi Miſſas celebrare tenentur, iurare compellet, an fideliter hos, alioſque defectus adnotauerint. Quod ſi fortè eos, qui ſtatutis diebus rem Sacram facere tenebantur, id per negligentiam, ac ſecordiam prætermiſiſſe comperiet, tunc huiuſmodi Miſſas, negligenter prætermiſſas, intra certum tempus omnes denuò celebrari, ac integrè illius Eccleſiæ ſeruitio ſatisfieri mandabit; defectuſque, ac negligentiam ſalutari aliqua inflicta pœna corriget, ac emendabit, ſeruatis conſtitutionibus Synodalibus

a c.3.& c.tua nobis,& c.Ioãnes de reſt.

b part prima c. 4. cum ſequen.

Poteſt etiam Viſitator ſeruare formam vt ſupra traditam in viſitatione cappellarum, parte prima.

c c.vltima voluntas xiij.q.ij.

d in c.tua nobis de teſtam.

d lectio. 28.

bus locorum; contumaceſque, ac rebelles, vt munus ſuum im plere cogantur, etiam fructuum ſequeſtratione compeſcet. De cetero autem; ne huiuſmodi errores committantur, librum conficiendum curabit, in quo omnium defectus in Miſsis celebrandis diligenter adnotentur; eique, cui huiuſmodi officium adnotandi, curave demandata fuerit, certam aliquam mercedem aſsignabit, niſi prius aſsignat: m fuiſſe comperiet. Quòd verò ad dictarum Cappellarum inſtitutiones, ſiuè fundationes, & dotium aſsignationem, exquiret Viſitator, quo iure potiſsimum illarum cenſus conſiſtat, ac totius cenſus, ſiue introitus indicem libellum conficiendum curabit, prædia illis in cenſum aſsignata viſitando: pro quorum quidem reparatione, ſi indigere videbuntur, expenſas ex eorundem fructibus ſubminiſtrari curabit. Singulis verò Cappellanis iniunget, vt exemplar, ſiue tranſumptum authenticum fundationis, reddituum, ac omnium rerum mobilium, ad cappellas ſuas ſpectantium apud ſe habere teneantur. Alterum verò verbo tenus deſcriptum per Priorem illius Eccleſię in publicum Archiuium ſcripturarum ad Eccleſiam illam ſpectantium cuſtodiendum tradet. Atque eodem ordine, eademq; methodo, in viſitandis Eccleſiarum anniuerſarijs vti poterit.

---

## *Viſitatio generalis, & particularis, ſiue perſonalis Clericorum. Cap. IX.*

POSTQVAM autem Viſitator Eccleſiam, fabricam, beneficia, cappellas, anniuerſaria, ac prædia ſingulis annexa, eo ordine, ac methodo, viſitauerit, quibus ſupra docuimus; Cleri viſitationem aggredietur: quem ſi vniuerſaliter viſitare volet, (vel quòd particulari, ſiue perſonali viſitatione non indigeat, vel quia alias perſonaliter, ac particulariter viſitatus fuiſſet, (vt ſupra docuimus) tunc omnes conuocabit, ac ſimul ad ſe conuenire imperabit, vel in aliquam Eccleſię cappellam remotiorem, vel, ſi magis libuerit, in domum, in qua reſidebit; ibique delecto loco remotiori ad id apto, & commodo, pręſentibus ibidem nonnullis laicis Deum timentibus, breuem ad eos ſermonē habebit,

a In prima part. c. 74. cū ſequē in quibus deſcripta ſunt particularia interrogatoria.

habebit, Latina, ſiue materna lingua confectum, prout magis expedire videbitur; ſeque ad illorum, quos viſitabit, captum Presbyterorum accommodabit, in quo eos ad ſui ipſius munditiam hortabitur: ac pro huiuſmodi rationis themate illud Neemiæ ſumere poterit: Mundati ſunt [a] Sacerdotes, mundauerunt populum; vel illud Prophetæ [b], Ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabit; ſiue, ſi magis libuerit, illud eiuſdem Prophetæ aſſumet, [c] Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, & Sancti tui exultent. Poterit etiam pro ſui ſermonis argumento illud Iſaiæ ſibi proponere, [d] Mundamini, qui fertis vaſa Domini; ſiue illud ex Leuitico, [e] Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. vel, ſi magis libuerit eos hortari, vt ſedulò munus ſuum impleant, ac ſuo officio diligenter fungantur, poterit vnum ex ſequentibus Scripturæ Sacræ locis pro ſui ſermonis argumento, ac themate ſumere [f]: Vos Sacerdotes vocamini miniſtri Domini Dei noſtri; vel, Vos [g] enim elegit Dominus, vt ſtetis coram eo, vt miniſtretis; ſiuè illud, Erudimini [h], qui iudicatis terram. Denique poterit Viſitator eos erudire, ac docere cauſas, cur tot labores in viſitando ſuſcipiat, & cur ad eos inuiſendos ſe contulerit. In quo pro themate erit illius Geneſeos, Pro [i] ſalute. n. veſtra me miſit Dominus ante vos; vel aliquid aliud ſimile, prout magis ei expedire videbitur, habita ratione loci, temporis, & eorum, ad quos huiuſmodi oratio eſt habenda; ad quorum captum omnino ſe accommodare debebit Viſitator; vt infantibus quidem lac, adultis verò, ac robuſtioribus ſolidum cibum miniſtret.

a c.12.
b Pſal.100.
c Pſal.131.
d c.52.
e c.19.
f 2. Paralip. c.7. & 61.
g 2. Paralip. c.29.
h Pſal.2.
i c.45.

Qua quidem oratione, ſiue exhortatione habita, ſi particularis, ſiue perſonalis viſitatio, ei neceſſaria videbitur, niſi velit eam eo ordine, ac methodo habere, quibus ſupra docuimus [k], poterit eam hoc modo perficere. Reſidens Viſitator in eodem met conclaui, vbi orationem habuit, omnes inde exire imperabit; ac ſingulis poſtmodum vocatis, à ſeniori, ſiue ab eo, qui in maioris dignitate conſtitutus eſt, incipiendo, ipſemet per ſe, vel per alium virum bonum doctum ad id potiſſimum ab eo electum, præſente ibidem Notario, ac nonnullis alijs, ſiue Notario ſolo, prout magis ei opportunum videbitur, eum hoc pacto interrogabit; An ſit beneficiatus, vel Cappellanus, ſiue Vicarius, vel locum tenens alicuius. Si beneficiatus fuerit, de titulo eum interrogabit, niſi fortè alias in alia viſitatione viderit. Si verò Cappellanus, ſiue alterius locum tenens fuerit, perquiret, an ſit oriundus ex ea Diœceſi, an extraneus. Si ſit extraneus, litteras dimiſſoriales Prælati ſui exhibeat, prout Sacri [l] Canones, & Tridentina Synodus diſponunt: exquiret etiam, an [m] ab Epiſcopo illius Diœceſis, in qua cappellis, ſiuè beneficijs pro rectoribus inſeruit, licentiam obtineat; & alia eius generis; prout

k in pri. par. c.74. cum ſequen.
l diſt.22. & 23.
m c.16. de refor. ſeſſ.23.

magis opportunum ei videbitur. Deinde, nulla interpoſita mora, eo, qui ſequitur, modo, eum interrogabit: An congruè ſaltem legere, & ſcribere ſciat. An Diuinum Officium conſtruere, ac ordinare ſciat. An in muſicis ita ſaltem ſit verſatus, vt, quæ in Breuiario, ac Miſſali canenda notantur, congruè canere ſciat. An regulas pro inueniendis, ac populo nunciandis Feſtis mobilibus teneat. An Confeſsionem generalem Italica lingua, ſiue materna expreſſam pro communicandis idiotis, & rudibus ſciat. Quin etiam expediret ſingulos coràm Viſitatore rem ſacram facere, vt videret, an cærimonias neceſſarias quiſque ſciret. Quod ſi minus id Viſitator per ſe pręſtare poterit, hoc munus Pręfecto cęrimoniarum, ſiue alteri ex peritioribus mandabit. Qua in re primo conſiderandum erit, an ea pietate, ac religione, qua decet, vnuſquiſque rem ſacram peragat. Deinde, an, poſtquam ſacrum Canonem incepit, aliquid interponat, & aliqua verba, quę in eo non contineantur, addat; an Chriſtianam pietatem, ac religionem redoleant illa verba; iuxta doctorum placita, ac pręcipuè Gabrielis ſuper Canone: ne Canon interrumpatur, quod ab initio, vſque ad finem, cùm Sacerdos, ad populum conuerſus, Ite miſſa eſt, pronunciat, ita connexum eſt, vt abrumpi non poſſit. Videat etiam Viſitator, ne Sacerdos, cùm hoſtiam manibus capit, pronunciaturus illa ſacri Canonis verba, Qui pridie quàm pateretur, eam ita eleuet, vt ab aſtantibus videatur, an ante conſecrationem adoretur; & præcipuè ab ijs, qui propius, & quemadmodum Sacerdoti adhærentes, rem ſacram audiunt: quod non multum laudabile eſt; ſed eam ita manibus extenſam teneat, vt à quopiam ante peractam conſecrationem conſpici nequeat; vt idemmet Gabriel adnotauit [a]. Nec vllo modo prætermittat Viſitator Plebanos, ſiue Parochos pro miniſtrandis Eccleſiæ Sacramentis pecunias, eſcas, gallinas, vel quod vis aliud huiuſmodi accipere. Nam, præterquam quòd in iure [b] hoc prohibitum eſt, corruptelam etiam, & abuſum eſſe, ac omnino tollendum omnes norunt. Atque hac in re curabit Viſitator, vt Tridentini [c] Concilij decretum de euitandis, & obſeruandis in celebratione Miſſæ inuiolabiliter obſeruetur.

a ſuper can. lect. 57.

b c. placuit. 1. q. 1.

c Seſſ. 22. decr. 2.

Diligenti etiã examine de doctrina Chriſtiana, cuius magiſtri debent eſſe Clerici, eum interrogabit, an ſciat Articulos fidei, & Dei, ac Eccleſię pręcepta, quę, & quot numero ſint. An capitalia, ſiue mortalia peccata nouerit, quę, & quot numero ſint: quę differentia inter mortale, ac veniale peccatũ: quę eorundem circunſtantię neceſſario in confeſsione ſint exprimẽdę. An Miſericordię opera, tàm corporalia, quàm ſpiritualia teneat. An ſenſuũ corporis numerum, ac nomina, virtutes Theologicas, ac Cardinales, quę, & quot numero ſint, ſciat.

Inſu-

Inſuper, ſi Parochus præſertim, & Confeſſor erit is, quem viſitabit; Interrogabit, an Canones pænitẽtiales ſciat, ſine quibus Sacerdos [a] appellari nemo meretur. ſunt etiam regulæ generales ſanctorum Patrũ, ad iniungendas pænitentias neceſſarias. Et, quamuis noſtris temporibus rigor ille mitior factus ſit, & pænitentiæ arbitrariæ ſint, [b] vt D. Thomas adnotauit; Diuino tamen inſtituto, in iniungendis pœnitentijs, debet Sacerdos regi, ac gubernari, &, cum in clauium poteſtate, ac opera, inſtrumentum & miniſter Dei ſit, non debet ſine Diuino ordine proprio tantum arbitrio moueri.

[a] c. quæ ipſis. 33. 6.

[b] c. Deus qui Eccleſiam de pæn. & rem.

Perquiret inſuper, an Eccleſiæ Sacramenta nouerit, quæ, & quot numero ſint: quot ex ipſis iterari poſſint; quot vero ſine ſacrilegio nõ iterẽtur; quæ ex ipſis neceſſaria ſint, & quæ non neceſſaria. Quis ſingulorũ etiam ſit miniſter Sacramentorum; quæ vniuſcuiuſque materia; quæ forma; quæ ad illorum integritatem, ac perfectionem requirantur; quæ miniſtri debet eſſe intentio, cum ea miniſtrat: quomodo vtendum ſit in vnctionibus, catecheſibus, & exorciſmis faciendis, ac quibus in locis; quo ordine vtatur in miniſtrando ſacro Baptiſmi Sacramento; qua methodo in audiendis pænitentium confeſſionibus vtatur, ideſt an ſciat ipſe met pænitentem ad pedes ipſius genuflexũ, ac proſtratum, poſtquam ſigno Sanctæ Crucis ſe munierit, ac Orationem Dominicam, & Symbolum Apoſtolorum pronunciauerit, primo interrogandum eſſe, an eam diligentiam, ac tantum temporis ſpatium pro meditandis peccatis ſuis adhibuerit, vt ea iuxta ſtatus, ac condicionis ſuæ rationem ad memoriam reuocare potuerit. Deinde, perquirendum erit, an ſit ſubditus, vt eum audire, & abſoluere poſſit. Tertio, examinandus erit, an ſit excommunicatus; an anno proxime præterito fuerit confeſſus, an iniunctam ſibi pænitentiam re ipſa impleuerit, & an poſtremo communicauerit, vt tenebatur. Debet inſuper Viſitator confeſſorem examinare circa modum, quo vtitur, vt pænitentem ad contritionem, & ad veram peccatorum ſuorum confeſſionem inducat, id quod facili negotio confeſſor præſtabit, ſi pænitenti ſexdecim confeſſionis condiciones, ad moralem ſenſum redactas inſinuabit, ac de tribus eius partibus verba fecerit, & inſigne aliquod beneficium, quò a Deo donatus fuerit, ad memoriam ei reuocauerit. Illud etiam a Sacerdote Confeſſore perquiret Viſitator, quo ordine, qua ve methodo vtatur in interrogandis pænitentibus. Quòd ſi forte in aliquo Sacerdote minorem ſcientiam deprehenderit, quàm ad huiuſmodi munus obeundum requiratur; videbit Viſitator, an ſaltẽ ita ſit eruditus, vt, cũ in res difficiles inciderit, de ſingulis dubitare ſciat, ac nouerit. Poſtremo, interrogabit confeſſorem Viſitator, de modo, quo in abſoluendo ab excommunicatione, & a peccatis vtatur.

vtatur. Inſuper, an ſciat quatuor anni tempora, an Eccleſiæ præcepto obſeruanda, quo tempore ſint ieiunia obſeruanda ex præcepto; qui ſint dies feſti ex Eccleſiæ præcepto obſeruandi. Denique, an nouerit, quibus potiſſimum temporibus nuptiæ ſint prohibitæ, ac alia, quæ iuxta officij gradus, & ordinis ſui condicionem ſcire quiſque tenetur, ac plenius intelligere. Quòd ſi forte Presbyter, ac Clericus, quem viſitat, non ea ſcire à Viſitatore deprehendetur, quæ iuxta ordinis, ac gradus ſui, quem exercet, ſtatum noſſe tenetur, Viſitator ad ea perdiſcenda præfixo congruo temporis ſpatio compellat, oportet, inflicta interim illi aliqua pœna, ſi negligens fuerit in ijs perdiſcendis, ad quæ tenetur. Et, quò facilius omnia confici poſſint, imponet ei Viſitator, vt nonnullos libros, tam Latinos, quam materna lingua conſcriptos, apud ſe habere, ac tenere debeat: vt Tractatum Sacramentorum, Rationale Diuinorum Officiorum, Defecerunt, Summam Hoſtienſem, ſiue Angelicam, Sacrum Concilium Tridentinum, Conſtitutiones Synodales, ac Prouinciales, vel alios ſimiles, prout magis expedire videbitur. Scrutabitur etiam Viſitator, an is presbyter, quem examinabit, in habitu clericali incedat: vt ſacri [a] Canones, & decreta [b] ſtatuerunt. An tonſuram apertam geſtet, & capillos ita accommodet, vt aures appareant: vt tenetur.

[a] De Vit. & hon. cler.
[b] Diſt. 41.
[c] c. nō liceat.

Quo examine hoc ordine perfecto, interrogabit, an aliquis ſciat, quod ad vitia, & publica crimina, tam clericorum, quam ſæcularium pertineat, vel aliquod aliud, quod in litteris in principio Viſitationis lectis, ac publicatis contineatur, idque abſque alicuius iuramenti obligatione, iuxta Sacrorum conſtitutionem. Quòd ſi quis eorum aliquod denūciaret, nō inimicitiæ vindictę ve cauſa, ſeu aliquo odio permotus, ſed zelo religionis, tum Viſitator eius delationem vna cum alijs in libro ſcribi mandabit: vt infra.

*Viſitatio*

# *Viſitaito particularis ſæcularium perſonarum. Cap. X.*

CONFECTA Viſitatione perſonarum Eccleſiaſticarum, ordine, quo ſupra diximus, poterit Viſitator ſæcularium viſitationem ſubnectere, iuxta formam Canonum. [a] Statuta igitur die Viſitator nõnullos ex ſenioribus, ac fide dignioribus, eius populi, ſiue parochię ad ſe in Eccleſia ſiue domi conuenire curabit, ac in conclaui ſeorſum ductos, nullo adhibito iuramento, ſed eorum conſcientia fiſus, ſingulos interrogabit de clericis, ac presbyteris: primo, quam diligentes, ac ſeduli ſint in miniſtrandis Sacramentis, ac celebrandis Diuinis Officijs: item, an vitæ honeſtæ, & exẽplares ſint, ac in veſtitu profuſiores, ac ſumptuoſiores. Perquirat etiam, quid de viris, ac feminis illius populi, ſiue parochię ſentiant: an aliquid nouerint, quod emendatione dignum eſſe cenſeant. Pręſertim vero interrogabit, an aliquis hæreticus ſiue de hæreſi ſuſpectus, ſacrilegus, excommunicatus ve ibi reperiatur. An publici aliqui concubinarij ſint; an male de vxoribus ſuis in dedecus, & contemptum Sacramenti Matrim. merentur. An ſeorſum ab illis viuant. Et omnia ad Sacri Concilij Tridentini [b] normam emendet, ac corrigat.

Perquiret etiam, an publici inter eos ſint feneratores, ſiuè uſurarij: & ſic de ſingulis, quæ in litteris ſuperius poſitis continentur, [c] & quicquid emendatione dignum reperiet, in libro denunciationum per Notarium ſuum notandum curabit: vt poſtea ſuis loco, & tempore ſingulis opportuna remedia aptare poſſit. Verum animaduertendum interim eſt diligentiſſime tum circa denunciantis qualitatem, tum circa denunciationis modum: An ſcilicet, qui defert, ſit cognatus, affinis vè, amicus, vel inimicus illius, quem defert, an aliquid ei debeat, an ſit pauper, an in publico munere conſtitutus, & reliqua huius generis ſimilia, quæ conſiderari poſſint. Videat etiam oportet, An is, qui defertur, publice, an vero ſecrete peccet: item, an in huiuſmodi errantes, peccantes ve animaduertere ad iudicem Eccleſiaſticum ſpectet.

a c. Rom. de conſ. in 6.

b c. 6. & 8. per totũ ſeſſ. 24.

c Sup. eodem 2. par. c. 4.

ſtet, an vero ad ſæcularem iuriſdictionem pertineat: eo enim caſu delationem admittere non debet, ſed errantem ei puniendum relinquere, cui competit: prout per Sacros Canonens ſtatum [a] eſt.

a c. nouit de iudic.

## *Quomodo delationes, denunciationes ve audiendæ, deſcribendæ que ſint.* *Cap. XI.*

b Sup ead. 2. par. c. 4.

QVONIAM in ſuperioribus [b] Edicti publice proponendi circa vitia notoria, ac publica peccata formam tradidimus, poſſetque accidere, vt, dum prædictæ viſitationes fiunt, vir aliquis, ſiue fæmina, ne in pœnas, ac cenſuras incurreret, aliquid ex ijs, quæ in eiuſdem Edicti, ſiue monitorij ſerie continentur, denunciare, ac ad Viſitatorem deferre vellet, Viſitator, modo adhibito, ac ſecreto eo, qui defert, vocato, adhibitoq. Notario, viro probo, diſcreto, ac confidenti, (qui, ſi fieri poterit, clericus ſit, nō autē laicus, ne laicis pateſiāt, ac innoteſcāt ſecreta Clericorū [c], nā, vt ex Sacris Conſtitutionibus colligitur, cohærere, & coniūgi non poſſunt, quibus ſtudia ſunt diuerſa: [d] & oppido infeſti ſunt laici clericis, vt ſacri Canones [e] docent. nec pſalterium cum cithara bene concordat, vt ijdem Canones [f] tradunt,) tum, conſiderata delatoris qualitate, altius conſiderabit, an zelo Diuini honoris, & ſuæ conſcientiæ tranquillitate, an vero odio, inimicitia ve, ſiue vindictæ ſpe denunciet. quòd ſi delationem iuſtam, & admitti dignā compererit, tum hoc modo in libro notandam, & in Actis deferendam curabit.

c c. ut iuxta de offi. ord.

d 16. q. 7. in noua.

e 2. q. 2. c. laicos & c. clericis de immu. cler. l. 6.

f c. diuerſis de cleric. cōiugat.

Diem primo, menſem, & annum adnotabit. Deinde, immediate ſubſequetur: In hac ciuitate, oppido, ſiue loco comparuit ante Reuerendiſſimum Epiſcopum N. ſiue Viſitatorem N. & præſente me N. Notario Apoſtolico, ac in ſancto hoc Viſitationis officio particulariter deputato, dixit, ſe eo veniſſe, vt Saluatoris noſtri præcepto pareret, qui apud S. Matth. [g] iuſſit nos fratres noſtros corripere primo ſecreto, deinde adhibitis duobus, vel tribus teſtibus, poſtremo vero ad Eccleſiā

g c. 18.

deferre,

de ferre, ideſt proprio Prælato notum facere. Vt igitur proximi ſaluti conſuleret, & eius animam lucraretur, ad quod faciendum Dei præcepto obligatur, præcepit [a], vt proximum noſtrum, vt noſmet ipſos, diligeremus: & , quoniam alibi dicitur, [b] mandaſſe Deum vnicuique de proximo ſuo. Denique, ne in pœnas, ac cenſuras propoſitas incurreret, eo ſe contulit, vt Viſitatori ſignificaret, N. clericum illius ciuitatis, oppidi, vel loci, beneficiatum, ſiue cappellanum, inhoneſtam vitã ducere, non ſine magno illius populi ſcandalo. nam publice teſſeris, aleis, ac tabulis ludentem, viſum fuiſſe. quinimmo à ſe præſertim ſæpius perſpectum ludis publicè vacantem in tali loco publico, præſentibus N.N. & magnam pecuniarum ſummam, & alia plurimum in huiuſmodis vſus erogare, ac conſumere, palam etiam choreas ducere, & ſaltare ſolitum vna cum laicis, & profanis hominibus. quinimmo idemmet ſubiunxit, vulgo eo in loco teneri illum clericum eſſe concubinarium, ac rem habere cum N. muliere vidua, ſiue coniugata, vel in nupta quam domi apud ſe retinet, vel cui alimenta, & alia ad victum neceſſaria in alia tali domo ſubminiſtrat, vt ſibi ſoli ad venereos vſus vacare poſſit; ſeque id ſcire, quòd eos ſimul commorantes ſæpius viderit in locis ſuſpectis: quinimmo ex quadam muliere, cui nomen N. ſe intellexiſſe, viſos ab ea, ſimul iungi, ac concumbere, & in eodem tecto iacere in ea domo. De quibus omnibus, ac alijs peccatis, & ſceleribus ab eodem clerico commiſſis dicit Reuerendiſſimum D. Viſitatorem per N. & N. poſſe plenius certiorem fieri. Quòd ſi is, qui detulerit, ſcribendi ſit peritus, ſe ſubſcribet, ac delationem a ſe factam veram eſſe affirmabit. ſin minus, ſatis erit per Notarium coram Epiſcopo, ſiue Viſitatore, eo, quo dicimus, modo delationem deſcribi.

a Matth. c. 2.
b Eccleſiaſt. c. 17.

Conſequenter adibit fortaſſe aliquis alius Viſitatorem, & deponet, N. eſſe hæreticum, & pro hæretico, & à fide Chriſtiana alieno, paſſim ab omnibus in ea ciuitate, oppido, ſiue loco haberi, quin etiam verbis palam eum fidei Chriſtianę detrahere.

Accedet alius, & nunciabit Viſitatori, aliquẽ ſeorſum ab vxore ſua vitam agere tot ab hinc annis, vel menſibus, & vtroſque cum aliis mercari; atque id qua ratione ſciat, deponet.

Deferet alius aliquam in illa ciuitate, oppido, vel loco, incantationibus, ac faſcinationibus operam dare, & palam ab omnibus pro venefica, & faſcinatrice haberi: quinimmo ex N. ſe audiuiſſe, quod eam vidiſſet circulum a ſe in terram deſcriptum ingredi, ac ibi characteres ac alia ad artem magicam pertinentia, ac ſuperſtitionem redolentia deſignaſſe.

Nunciabit pariter aliquis alius Viſitatori N. eſſe publicum feneratorẽ, ſiue vſurarium, ac proximo ſuo mutuatis bobus, vel aliis armẽtis

vel illa ratione fænerari, res ante ſtatutum tempus ab alijs emere, vt viliori pretio veneāt, ſeuero cōtra in vendēdo credere alijs res, ſuas vt pluris vendere poſſit. quinimmo ſibi mutuo dediſſe centum, expreſſa condicione, vt quinque ſupra centum reſtitueret: idemque ac multa alia per eum ſe ex N. & N. audiuiſſe.

Pari ratione per alium Viſitator certior fiet, N. eſſe bigamum. nam, cum vxorem haberet quandam nomine N. ea adhuc viuente aliam duxit, cui nomen N. cum qua nunc viuit, ex qua etiam, & filios, filias ve ſuſcepit.

Quinimmo aliquo denūciante ad Viſitatoris notitiam perueniet, N. & N. fide ſibi inuicem data de futuro matrimonio, ac eo publicato, ita iuratos ſimul in eadem domo cohabitare, &, non habita benedictione, vt ex Eccleſiæ præcepto tenemur, matrimonium conſummaſſe, ac filios ſuſcepiſſe.

Tandem accedet aliquis alius, & ſe ipſum accuſabit, quòd multis annis confiteri peccata ſua neglexerit, & annorum numerum exprimet. Alius vero, quòd multorum annorum ſpatio in Paſchate, iuxta Eccleſiæ præceptum, non communicarit, eo quòd nonnullis litibus, ac diſſenſionibus mordicus vacaret, nec eas res prætermittere vellet. Alius deferet, ſe per annū, & eo amplius excommunicationis vinculo fuiſſe irretitum, quòd aliquam pecuniarum ſummam debito tempore non ſoluerit; quod clandeſtinum matrimonium cum aliqua in gradu affinitatis, vel cognitionis prohibito [a] contraxherit, non petita prius diſpenſatione; à qua quidem excommunicatione ſe per totum illud temporis ſpatium abſolui, ac liberari neglexiſſe.

a Clem. vni de conſa. & affin.

Deferet alius, ſe carminibus, ac medicatis potionibus infirmis mederi; alius vero referat, ſe verbis ſuperſtitioſis [b] amiſſum pecus cōmendare, & tantam eis fidem habere, vt ſibi perſuadeat fore, vt, ſi ſit commendatum, cito, ac indubitante reperiat. Alius nunciabit, ſe medicatam potiorem, vel aliquam aliam faſcinationem N. & N. ſponſis nouis miniſtraſſe, ne ſimul coire, ac matrimonium conſummare poſſent. Alius denique, quòd, multis annis elapſis, patris ſui, vel alterius cuius vis vltimam voluntatem non adimpleuerit, cuius bona poſſidet & ſic de ſingulis, quæ quidem multa, & varia poſſunt accidere.

b 26 q. 5. per totum.

Quibus omnibus, cum ea Viſitator intellexerit, opportunum eſt adhibendum remedium, ne, ſi forte negligentius in ijs eradicandis egerit, vires aſſumant, ac ita conualeſcant, vt vel difficulter poſtea remoueri poſſint; vel, quod peius eſt, reliquos ſuo veneno inficiant. Nam Morbida facta pecus totum corrumpit ouile: ac plerunque Paſtorum negligentia accidere videmus, vt, dum negligentius in inuiſendo, ac perluſtrando grege ſuo agunt, nec morboſas oues curant, vel à grege

emouent; reliquæ eodem morbo inficiantur, ac recta ad æternam damnationem tendant via.

## *Quomodo inquirere debeat Viſitator, ac procedere circa denunciationes criminum, ac vitiorum publicorum ſibi factas. Cap. XII.*

VISITATOR, auditis delationibus ſibi factis, tam ſæcularium, quam Eccleſiaſticarum perſonarum, in ijs, quæ publica crimina, & enormia peccata concernunt, vt ſupra adnotauimus, [a] omnia maturius, ac quam diligentiſſime examinabit, ac ſecum conſiderabit, & veluti doctus, ac peritus medicus, ſingulis quibuſque infirmitatibus opportuna remedia adhibebit, eo, qui ſequitur, modo.

Delinquentes ſingulos ſigillatim ad ſe in Eccleſiam, ſiue alium locum ad id potiſſimum accommodatum vocari curabit, ac eorum criminibus iuxta delationis ſeriem patefactis, eos grauiter accuſabit, & reprehendet, & ad ſalutarem pœnitentiam peragendam, & Diuinam iram cauendam cohortabitur. Quòd ſi delinquens, ſuum errorem faſſus, ſe ad pænitentiam ſibi impoſitam peragendam paratum oſtendat, eo animo, vt poſt impetratam gratiam, & remiſſionem grauis illius peccati à Deo, nunquam in poſterum illud rurſus committere velit, vt verum, ac bonum Chriſti fidelem decet: tunc Viſitator ſcribæ ſuo, ſiue Notario imponet, vt illius confeſſionem notet, ac delinquenti iuxta criminis qualitatem ſalutarem pænitentiam publicam, vel priuatam, maiorem, minorem ve imponet, prout magis ſaluti ſuæ expedire videbitur, Sacrorum Canonum rigorem, ac ſeueritatem, quod eius fieri poterit, moderando, & ad mitiorem pœnam redigendo; atque eo magis, quòd arbitrarias eſſe pœnas, & pænitentias iniungendas confitentibus, eorundem Sacrorum Canonum auctoritate ſancitum eſt. [b] Monebitque interim, immo & expreſſe imperabit, ne in poſterum in huiuſmodi errores, ac peccata labatur, propoſita aliqua pœna Sacrorum Canonum, vel Conſtitutionum

[a] ca. præcedent.

[b] c. Deus qui de pænit. & remiſſ. & 26. q. 7. c. tempora & c. alligant. c. de ſt. c. non decet in fine.

Synodalium, (ſi in Conſtitutionibus Synodalibus de publicis delictis eius generis fiat mentio) quam ſe incurſurum nouerit; ac minitetur Viſitator, ſi amplius eo modo peccarit. Qua abſolutionis ſententia ſic per Viſitatorem lata, eam ſcriba, ſiue Notarius in Actis rediget, ſeruata forma, ac regulis Sacrarum Conſtitutionum; ac rei aſſenſum aſcribet, & reliqua requiſita addet, prout requiritur, ac moris eſt in huiuſmodi caſibus fieri. Verum, ſi delatus hæreticus eſſe deprehendetur, non eodem modo ſecum erit agendum: ſed tunc Viſitator delationem, ac nomina teſtium notabit, quos etiam ſecrete, omni adhibita diligentia, examinabit, præſentibus ibidem duobus alijs in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis: vt Sacri Canones [a] diſponunt. Qua in re poterit ea methodo vti, quæ à Directorio inquiſitorum traditur: & conſtito ſibi de hæreſi, eum in carcerem caute duci curabit, ac, miſſa actorum copia Romam, de omnibus, prout geſta ſunt, Illuſtriſſimos Sacræ Inquiſitionis Præſidêtes Cardinales quam primum certiores faciet: quorum etiam præcepto, ac auctoritate omnia adminiſtrabit.

[a] c. ut off. §. verū de hær. in 6.

Immo, in ſancto Viſitationis munere obeundo, Epiſcopi illud in primis ſibi præ oculis ponere debent, præcipuuſque hic illorum debet eſſe ſcopus, vt commiſſum ſibi gregem ab huiuſmodi diabolicis fraudibus emundent. cui rei potiſſimum eos diligentiſſime inuigilare debere, Sacri [b] Canones præcipiunt.

[b] c. excommunicamus el. 1 §. adiicimus de hæret.

## *Quomodo cum delinquentibus, ſi contumaces, & rebelles fuerint, circa peccata publica ſit agendum.* Cap. XIII

QVOD ſi reus, cum vocatus fuerit, citatuſque comparere noluerit, vel, ſi comparuerit, pertinacius in ſua ſententia permanendo commiſſum à ſe facinus confiteri noluerit, poterit Viſitator contra eum agere, ac inquirere, habita ratione cum rei, tum delicti. nam, ſi reus clericus fuerit, cum abſolutam in eo, ac meram iuriſdictionem habeat, in vincula eum côijciere poterit, ac aliis pœnis à iure ſtatutis multare, præſertimque ſi ſæpius in eadem crimina

lapſus

lapſus fuerit, ſeque incorrigibilẽ prębuerit. id enim faciendum Sacri [a] Canones docent. Sin autem reus laicus fuerit, tum delicti ratio habenda erit, cum, quoad rei ipſius perſonam attinet, Eccleſiaſticum forum non ſit ei proprium. Sunt autem multi caſus, quibus laici Eccleſiaſticam iuriſdictionem declinare non poſſunt; cùm illorum cognitio delictorum ad Eccleſiaſticum iudicem pertineat. Poterit igitur Viſitator laicos in vincula conijcere, ac alijs pœnis, à iure ſtatutis, afficere [b], ſi hęretici eſſe deprehenſi fuerint. quo caſu ea obſeruabit Viſitator, quæ ſuperius adnotauimus [c]. Vel, ſi ſuperſtitionibus, ac magicis [d] artibus operam dederint, vel ſacrilegium aliquod commiſerint. id enim & Sacri [e] Canones docent, & præcipue Dominicus de Soto, multæ auctoritatis Doctor, tenet [f]. Vel, ſi per annum, & vltra excommunicati permanſerint, vel Sanctæ Eccleſiæ vnioni reſtitui per abſolutionem non curauerint: viderentur enim Eccleſię auctoritatem, ac Clauium poteſtatem negare, & de fide malè ſentire. Idemque cenſendum erit, ſi de hęreſi fuerint ſuſpecti; vt ex Sacroſancto Conc. [g] Trid. ac alijs locis colligere licet; & Doctores [h] inſignes, ac in Pontificio iure explicando illuſtres tradiderunt. His enim omnibus caſibus, quos enumerauimus, ordinarius iudex eſſe cenſetur, etiam laicorum, vt Sacri Canones docent, & grauiſſimorum doctorum auctoritas confirmauit: poteſtq. cōtra eos procedere, vſque ad capturã, & carcerationis pœnam incluſiuè. Sed, quoniam non eſt noſtri inſtituti hoc loco diſputare, ſed ſolum modum, ac praxim demonſtrare, qua Epiſcopus vti debet in perluſtranda ſua Diœceſi ſingulis annis, vt ex iuris [i] diſpoſitione tenetur, iccirco plura de his dicere ſuperſedebimus; contenti hęc pauca adnotaſſe, quæ fortaſſe Viſitatoribus non inutilia erunt.

a c. Epiſcopus de off. ordin. in 6. & c. tuæ diſſertionis de pęn. & c. ut famæ & c. ſi cler. de ſen. excomm.
b c. vt commiſſi. & hær. lib. 7.
c In cap præceden.
d cõtra idolorum & gloſſ. ibi 26. q. 5.
e c. ad oſtendẽdũ 17. q. 4.
e c. cum Epiſ. de offic. ord. lib 6.
f Seſſ. 25. c. 3 in fin.
g Cap contumacia de hęr. lib. 6 c. graue de pæn. & ibidem gloſſ. & c. bene de ætat. & qualit. ordin.
h Hoſtien. in ſumma ſub tit. de hæret, Panor in c. poſtulaſti & hõ. & c. graue de pæn. & multis aliis in locis cum aliis & c.
i c. conuertenti de offic. ord. & c. Epiſcopũ & c. placuit 10. q. 1. & multis aliis in locis.

---

## *Quo modo in ijs, quæ publica crimina concernunt, contra laicos ſit agendum, ſi citati non comparuerint.* Cap. XIIII.

CVM autem is, qui publicum aliquod crimen commiſit, merè laicus fuerit, licet delicti ſpecies ab eo commiſſi ad forum Eccleſiaſticum pertineat, vt ſunt ea, quæ ſuperius adnotauimus, & præterea adulteriũ, inceſtus, concubinatus, & ſimilia, & quę ad vtrũq; forum indifferenter pertinent, quę caſus mixti appellari ſolent; vt ſunt

fæneratio,

fœneratio, blaſphemiæ, & cętera eius generis; ſi citatus fuerit, nec comparuerit, eius contumaciam per Coadiutorem ſuum, vel alium, cui id onus incumbet, accuſandam curabit Viſitator in termino citationis, Iudexque contra huiuſmodi rebellem, ac contumacem aliam decernet monitionem ad comparendum, videndumque declarari, ſe in cenſuras, ac pœnas primi mandati, ſiue monitionis incurriſſe, eo quòd non paruerit, & ad dicendam cauſam, quare non debeat declarari excõmunicatus, per affixionem cedularum in locis publicis. Quòd ſi, ſecundo monitus, comparere neglexerit, in prædictas cenſuras incurriſſe declarabitur, ac publicè excommunicatus pronunciabitur per affixionem cedularum in locis publicis, ac frequentioribus illius ciuitatis. &, quo magis eius contumacia, & pertinacia creuerit, eò Viſitator cenſuras, ac pœnas augebit, vſque ad brachij ſæcularis inuocationem; id enim Summorum Pontificum Conſtitutiones, ac decreta admonent eſſe faciendum, cenſuras Eccleſiaſticas, ſeruatis debitis, ac Canonicis terminis, aggrauando, ac reaggrauando; prout mágis ei expedire videbitur.

c. pernicioſa, & c. quoniã de offi. ordin. & 23. q. 3. Maximianus cũ reliquis.

## *Quo caſu Viſitator contra reum delatum ordine iudicario vti debeat.* *Cap, X V.*

POSTQVAM Viſitator, vt ſuperius adnotauimus, maturiori adhibito conſilio, diligentius, altiuſque rei delati, ac criminis enormitatem, nec non delatorum qualitates ſecum conſiderauerit; ſi reus citatus, vel non comparuerit, vel in vincula coniectus fuerit, ſi præuia Viſitatoris admonitione, ac cohortatione errorem ſuum fateri noluerit, ac veniam humiliter poſtulare, ſed pertinacius contradicere perſtiterit; cum ſatis conſtiterit, pleniuſque probatum fuerit, publicum eſſe, ac notorium illius crimen; tunc per accuſationem, ac fiſci operam contra eum agendum erit; qui quidem Fiſcus reum de omnibus criminibus, ac delictis, de quibus denunciatus fuerit coram Prælato, accuſabit in forma, petetque ab eo tamquam Iudice, vt iuris eum pœnis multet, ac caſtiget; Iudexque tunc audita, ac admiſſa accuſatione contra reum, iuxta Canonum [a] ſanctiones procedat,

[a] c. qualiter, & quando de accuſ. lib. ſecundo.

cedat, decernatque illius accuſationis copiam, ſiue tranſumptum ipſi reo dari, vt ſe defendere, ac tutari poſſit: atque hac in re Diuinę Scripturæ veſtigijs inſiſtet, quæ in Actibus Apoſtolorum [a] hanc conſuetudinem comprobat, cuius verba ſunt: Non eſt conſuetum Romanis, quempiam damnare, priuſquam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat, vel abluendi crimina, quę ipſi obijciuntur. Ac pari ratione, ſi reus ſe defenderit, defenſionis illius copiam, ſiue tranſumptum Fiſco tradendum curabit, aſsignato interim vtroſque competenti termino ad probandum. Cumque articuli per vtriſque exhibiti fuerint, & à iudice admiſſi, ſaluo iure, & poſt quam, quod probare intendunt, deduxerint, ac probauerint, conceſſa proceſſus publicatione, ac termino ad opponēdum aſsignato, exceptionibuſque, ac defenſionibus legitimis, ac bonis admiſſis, factaque concluſione, Viſitator, poſtquam diligentius, maturiuſque proceſſum, examina, & omnia conſiderauerit, ſeruatis Canonicis terminis, tandemque citatis partibus ad audiendam ſententiam in Dei nomine proferendam, prout iuris eſſe videbitur, ac magis iuſtitiæ conſonum, eam proferet. A qua quidem ſententia ſi iuſtè appellatum fuerit per reum, & per iudicem, à quo lata fuerit ſententia, appellatio admiſſa, (quia alioquin in cauſis appellationis, & morum correctionis non admittitur appellatio [b], ad effectum retardandæ executionis) tunc appellanti mandabit, vt intra certum tempus iudicem, ad quem appellauit, cum Apoſtolicis, ſiue litteris reuerentialibus adeat, & coram eo appellationis huiuſmodi cauſam proſequatur.

Illud tamen interim animaduertendum eſt, in Viſitationibus, quæ in Monaſterijs, ac perſonis regularibus fiunt, licet huiuſmodi methodus, ac ordo iudicarius obſeruari debeat, non tamen neceſſe eſſe, omnino, ac inuiolabiliter cum ita obſeruari, vt ne latum quidem vnguem ab eo recedamus, ſed habita rationę perſonarum, quibus cum agendum erit; vt ex Pontificij [c] iuris decretis facilè colligi poteſt. Verum enim verò, cum huiuſmodi denunciationes Sanctæ Viſitationis vigore fieri contingat, in agendo contra reos huiuſmodi debet modus adhiberi, vt luce clarius innoteſcat, nullam aliam eſſe Viſitationis intentionem, niſi, vt erroribus, quibus Deus Opt. max. offenditur, ac ad iracundiam prouocatur, remedia adhibeantur: ac peccatorum conuerſioni, Cleriq; ac populi reformationi ſedula opera detur: idque benignè, ac humaniter, ſemoto iuris nimio rigore, fiat. Quòd ſi quando ad iuris rigidiora remedia deueniendum erit, id præſeferat ſemper, ſe, præter voluntatis ſuæ intentionem, ac vi, coactos fuiſſe id facere, vel quia nullū aliud eſſet opportunum remedium, vel quia peccatores pertinaces eſſent, vel quia magnum inde venturum erat ſcandalum.

Quòd

[a] c. 25.

[b] Cōc. Trid. ſeſſ. 13. de refor c. 4. & ſeſs. 22. de refor. c. 1, & ſeſſ. 24. de refor. c. 10.

[c] c. Qualiter, & quādo &c. olim de accuſ.

Quòd ſi temporis aliquid peracta Viſitatione ſuperſit, laudauerim, vt ad errorum, quos in Viſitatione repererit, emendationem, ac proceſſuum, quos fabricauerit, executionem procederet, ab omnibus, qui inemendabiles eſſent, debitas pœnas, Canonicè, ac iuris ordine ſeruato, exigendo.

---

## *Quo modo ſit procedendum, in quibuſdam caſibus, qui frequentius in Viſitatione ſolent occurere. Cap. XVI.*

QVAMVIS multa ſint, & innumera, quæ Prælato ſuam Diœceſim viſitanti paſsim ſe ſe offerre ſolent, quibus niſi opportunum adhibeatur remedium, magnum inde, & inſigne Chriſtifidelibus malum plerumque oriri ſoleat: ſunt tamen aliqua, quæ frequentius committi ſolent, & quę quodammodo populis familiaria facta fuere peccata: quibus eo diligentius Viſitator debet prouidere, quo omnes norunt perfidiorem eſſe hoſtem, qui diſsimulat, & febrim periculoſiorem, quæ non dignoſcitur, ſed paulatim homines conſumendo interimit. Nos igitur nonnulla huius generis peccata hic enumerauimus, (nam ſingula percurrere difficile eſſet, & longum) ac remedia opportuna ſingulis accommodauimus, quorum exemplo reliqua dignoſci, ac caueri facilè poterunt, & à Viſitatore corrigi.

Eſto igitur, vt ad Viſitatorem aliquis detulerit, N. & N. legitimè iuratos, & fide data ſimul vitam agere, ac matrimonium ſine conſuetis Eccleſię benedictionibus, ac ſollemnitatibus conſummaſſe, & quòd mulier nec vidua, nec aliquo tempore velata fuerit; tunc Viſitator ijs pœnis eos multabit, primò, in quas per Synodales Conſtitutiones illius Eccleſię incidiſſe deprehendentur. Deinde imperabit, vt quamprimum Eccleſiæ benedictionem accipiant, &, quoad re ipſa id non præſtiterint, ſeparatim, iuxta Sacrorum [a] Canonum regulas, viuant, ſub pœna excommunicationis. Nam (vt Diuus [b] Auguſtinus teſtatur) inſtitutum eſt, vt ſpõſæ iam pactæ non ſtatim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam ſuſpirauit ſponſus dilatam. Quod autem ante matri-

[a] c. Sacro de ſen. excom. & c. cum medicinalis eo tit. lib. 6.
[b] lib. 4. cõfeſ. diſt. 27.

matrimonij conſummationē teneantur Eccleſiæ benedictionem ſuſcipere, & ex iure Pontificio, & ex Sacræ Tridentinæ Synodi decretis deſumitur.

a 27 q. 2. & 30. q. 5. per totum & 4. ſeſſ.

Quòd ſi fortè Viſitator certior factus fuerit, N. & N. legitimè inter ſe matrimonium per verba de præſenti in facie Eccleſiæ contraxiſſe, & ſeparatim viuere, non autem ſimul, vt humani, ac diuini iuris decreto tenentur, idque nulla alia ratione ab ijs fieri, niſi, vt propriæ libidini, & ingenio ſatisfaciant, mandabit eis, ac imperabit, vt intra dierum trium ſpatium ſimul conueniant ſub eodem tecto, ac ibidem ſimul vitam ducant, ac ita viuere perſeuerent, vt virum, ex vxorem decet, ſub pœna excommunicationis maioris. quod ſi minus id re ipſa præſtiterint, coram Viſitatore comparere teneantur, ac cauſas, rationeſque afferre, quibus id facere non teneantur. quòd ſi, maturius conſideratis huiuſmodi cauſis per eos adductis, nullum tale impedimentum apparebit, per quod diuortij faciendi ſententia ferenda ſit; grauioribus pœnis, ac cenſuris Eccleſiaſticis adhibitis, eos ad viuendum ſimul compellat, inuocato etiam (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſęcularis.

b c. primo de refor. matri. ſeſſ. 24.

Quòd ſi Viſitatori conſtiterit, N. & N. eſſe publicos concubinarios, vel quòd ex eorum fiet confeſſione in iudicio publicè facta, vel ex ſententia contra eos lata, vel denique ob facti perſpicuitatem [d], eo quòd omnibus innotuerit, coniūcti fuerint, mādabit eis, Notario pręſente, ſub eiſdem pœnis, ne in poſterum ſimul cohabitent, nec ſimul verſentur in locis, ac temporibus ſuſpectis. quòd ſi parere contempſerint, contra eos ad excommunicationis ſententiam procedet, inuocato etiam tandem (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſæcularis; vel, ſi magis libuerit, ad illorum reformationem procedet, iuxta Concilij [e] Tridentini decreta; nec antea abſoluendi erunt, quàm promiſerint, ſe in poſterum id non commiſſuros. quod videtur ſenſiſſe Panormitanus [f], licet in clericis [g] hoc non habeat locum. Illud tamen interim diligenter notandum eſt, Viſitatorem ſemper in huiuſmodi erroris ſpecie perquirenda curioſius de adulterorum, ac concūbentium condicionibus inueſtigare debere: an ſcilicet ſint coniugati, nec ne. nam cum mulieribus coniugatis debet Viſitator cautius agere, & moderatius, ob imminens periculum, & ob ſcandalum, quod accidere poſſet, ſi ad eiuſdem viri cognitionem eam adulteratam fuiſſe peruenerit. Niſi fortè, eiuſdem viro id poſtulante, & conſentiente, contra eam ageretur: vt nobis in Andria contigit.

d c. tua nos de habit. cler. & mulier.

e c. 8. ſeſſ. 24. de refor matrim.

f in c. intelleximus de adult.

g c. cler. de cohab. cl. & mul.

Pari ratione, ſi comperit Viſitator, quemquam in ea ciuitate, oppidò, locove, quem viſitat, reperiri bigamum, præmiſſa diligenti facti inquiſitione, ſi conſtiterit id factum eſſe ex certa ſcientia, nec ignorantię locum eſſe, commiſſum crimen debſia pœna multabit,

bit, ac matrimonium ſecundo loco contractum, vt Diuinum ius poſtulat [a], diſſoluet. Verùm, ſi reperiet, mulierem ſecundas nuptias celebraſſe, habita aliqua perſuaſibili opinione mortis primi ſui viri, matrimonium ſecundò contractum non prius diſſoluet, quàm conſtiterit primum illius virum, inter viuos agere: id quod Sacri [b] Canones multis in locis docent eſſe faciendum.

Quòd ſi certius factus fuerit Viſitator, quoſpiam in eo, quem viſitat, loco, licet ſcirent ſe in quarto, vel alio conſanguinitatis, affinitatisve gradu coniunctos eſſe, tamen contra Canonicas [c] prohibitiones matrimonium inter ſe, abſque ſummi Pontificis diſpenſatione, contraxiſſe, ſeparatim eos viuere imperabit, excõmunicatos interim publicè declarabit, nec prius abſoluet, quàm tanto errore dignam pænitentiam egerint, vt Clementis Summi Pontificis Decreto præcipitur. Quòd ſi conſtiterit, quoſpiam alios clandeſtinum inter ſe matrimonium contra Sacrorum Canonum [e] decreta cõtraxiſſe, Sacerdotem, qui huiuſmodi matrimonio ſic contracto interfuerit, iuxta Canonicas [f] regulas, ac Sacri Concilij Tridentini decreta, ac Synodales illius Eccleſiæ Conſtitutiones puniet, reliquoſque omnes qui quouis modo delicti illius participes fuiſſe deprehẽdentur, pari ratione corriget, ac caſtigabit.

Quin etiam, ſi quoſpiam repererit, qui eo anno in Paſchate peccata ſua Deo nõn fuerint confeſſi, nec ſanctum Euchariſtiæ Sacramentũ ſumpſerint, (vt ex antiqua Sanctorum Patrum [g] inſtitutione tenentur) ex Eccleſia eos expelli, ac illius ad tu illos prohiberi imperabit, ſtatimque ac eos facti pænituerit, ac ſe Eccleſię præcepto obedire paratos polliciti fuerint, abſoluet, ac, ſalutari pænitentia iniuncta, mandabit, vt intra certum temporis ſpatium confiteantur, ac reliqua, vti tenentur, exequantur.

Sin autem quoſpiam ibi offenderit excommunicationis vinculo irretitos eſſe, vel quòd debitam aliquam pecuniȩ ſummam nõ ſoluerint, licet ſint ſoluendo, vel quòd aliquo enormi delicto, peccatove detinerẽtur, nec ſe abſolui, ac Eccleſię ſanctæ vnitati, reſtitui curauerint, cõtra huiuſmodi inobedientes Sathanæ filios, ad alias Eccleſiaſticas cenſuras procedet; ordine Canonico ſeruato, auxiliumque brachij ſæcularis (ſi opus fuerit) contra eos inuocabit, ac in vincula conijci, eorumque bona publicari curabit, vt, quos timor Dei à malo non reuocat, pœnæ ſaltem corporalis caſtiget.

Inſuper nouerit Viſitator, ſe teſtamenta omnia debere inuiſere, ac perſcrutari, an re ipſa vltimæ defunctorum voluntates impletæ fuerint per hȩredes, ſiue teſtamentorum executores. nam ex Sacri Concilij Tridẽtini auctoritate Epiſcopi, tãquam Sedis Apoſtolicæ delegati, in caſibus à iure conceſſis, omnium piarum diſpoſitionum, tàm in vltima volũtate,

quàm

a c. accepiſti de ſponſ. diuor.
b c. in pręſentia de ſponſ. & c. Domin' de ſecũ. nup.
c. frequenter vt lit. pend. non contet. c. cũ per bellicam. 34. q. 2.
c c. nõ debet de conſa. & affi.
d c. t. & vni co de conſan. & affi.
e c. cum inhibitio de clãdeſt. deſpon.
f vbi ſupra
g c. primo de refor. matri. ſeſſ. 24.
h c. omnes vtriuſque ſexus de pæn. & remiſ.
i vt Clericorum de vit. & hon. cler.
k c. 8. ſeſſ. 22

quam inter viuos, ſunt executores. Quòd ſi quos anni præterito tempore vltimas defunctorum voluntates debitæ executioni non demandaſſe cõperiet, executorum negligẽtiam corripiet, debita inflicta pœna, vt iur s erit, hæredeſq; congruo aſsignato termino coget, compelletq;, vt defuncti voluntatem impleant, ſub pœnis à iure [b], & Synodalibus Conſtitutionibus illius Eccleſiæ impoſitis.

[a] c. tua nob. de teſtam.

[b] c. ſi hæredes de teſt.

---

## *Quo modo obſtetrices, ac ij, qui verbis, ac carminibus medentur, ſint viſitandi.* *Cap.* XVII.

MVLTA ſunt, quæ parturientibus mulieribus imminere ſolent, & ea quidem grauiſsima pericula, dum fœtus è materno vtero in lucem eduntur: quibus quoniam paſsim adeſse conſueuerunt obſtetrices, quibus etiam id muneris demandatum eſt, vt omnibus incommodis, ac fortunæ caſibus prouideant, ac opportunis remedijs occurrant, non alienum eſſe duximus à Paſtorali noſtra ſollicitudine, nec ab inſtituto noſtro diſſonum, & eas quoque ſalutaribus imbuere præceptis. Nam, quæ tunc temporis fę tibus imminent pericula, dum in lucem eduntur, non ſolum infantium illorum corpora vexant, ſed, quod magis eſt, animæ quoq; ſalutem plerũque in diſcrimen adducunt; ſatiſq; compertum eſt, miſellos illos infantes ſine ſancti Baptiſmi Charactere ex hac vita migrare; idque earũ culpa, negligentiaque fieri, quibus id muneris demandatum eſt, vt parturientibus præſtò ſint, ac opitulentur: quæ ſi viderint infantem in vicinæ mortis periculo conſtitutum, ſtatim baptizare debent, nec illud temporis ſpatium expectare, quod in illis, qui incolumes è materno vtero prodeunt, expectari conſueuerit. Quapropter, quamcunque ciuitatem, oppidum, ſiue locum viſitabit Prælatus, & omnes, quæ ibidem ſunt, obſtetrices, ad ſe acceerſiri curabit, mandabitque, ac ſingulas interrogabit, an domi naſcentes pueros abſque inſigni aliqua, & euidenti neceſsitate, periculoque baptizare conſueuerint, eaſque, ne id faciant, commonebit. nam, ſicut errare diximus, ſi naſcentes fœtus in propinquæ mortis periculo conſtitutos ſtatim non baptizent, ita quoque errare eas dicimus, quoties infantes nullo imminente mor-

tis periculo domi baptizant, prætermiſsis interim, earum curioſitate, conſuetis Sanctæ Eccleſiæ cęrimonijs, ac ſollemnitatibus. Monebit quoque, ac inſtruet, cum, inſigni imminente periculo, ac magna id neceſsitate poſtulante, huiuſmodi infantes baptizant, quo ordine, qua ue methodo vti debeant in miniſtrando Baptiſmi Sacramento, quam in partem, ſiue membrum aquam infundere debeant. nam, ſi fieri poteſt, caput eſt abluendum; ſed, ſi commode id fieri non poterit, ſatis erit quodcunque aliud membrum, quod è materno vtero prius exierit, abluere. quod tamen eo caſu ſolum faciendum eſſe nouerint, ſi de naſceutiſpueruli vita deſperent; alioquin ne faciant. Docebit etiam eas, quibus verbis vti debeant. quod ſi forte neſcierint, imponet eis, vt ſub excõmunicationis pœna diſcant;&, quoad didicerint, obſtetriciam artem ne exerceant; mandabitque Parocho, vt eas verba illa, ac reliqua neceſſaria doceat. Perquirat etiam, an, dum aquam infundunt, verba proferant; nec prius, poſteriuſve: nam eo caſu nihil efficerent. Parochos etiam moneat Viſitator oportet, infantes illos, qui, mortis periculo imminente, domi baptizati fuerunt, ſi peculiari Dei beneficio, ac gratia, periculum illud euaſerint, ad Eccleſiam deferendos eſſe; vt prætermiſſæ cærimonię, ſollemnitateſque, quibus in miniſtrando Baptiſmi Sacramento ſancta vti conſueuerit Eccleſia, ſuppleantur.

a c. mulier. c. in neceſſ. cum ſequen. per tot. de conſ. diſt. 4.

Poſtremò, commonefaciat obſtetrices, ſi vir ibi periclitante fætu adſit, fæminis non eſſe baptizandi munus permittendum; ſi verò aduerit Clericus, ei hoc onus incumbet; qui ſi fuerit ſimplex Clericus, Subdiacono pręſente cedet, Subdiaconus Diacono, Diaconus Presbytero, & ſic de ſingulis. ſemper enim huiuſmodi Sacramenti miniſtratio digniori demandanda eſt.

Curabit etiam Viſitator, omnes ad ſe frequentes conuenire, ſiue ij viri fuerint, ſiue mulieres, qui oculis, lumbiſve, ſiue alijs morbis, particularibus verbis, carminibuſque ſe mederi profitentur, quiq; orationibus, ac veneficijs, in curandis huiuſmodi morbis, vtuntur; prout multi noſtris temporibus reperiuntur, qui linteis, aquis ve medicatis, vulneribus, vlceribuſque, ac diuerſis doloribus ſe mederi poſſe pollicentur.

In his autem omnibus caſibus duò potiſsimũ ſcrutabitur Viſitator, ne in his peccatum aliquod committatur, neve Deus opt. max. offendatur, vt Angelicus Doctor D. Thomas adnotauit. Primò, quibus verbis vtantur in huiuſmodi medicaminibus: deinde, cum illa verba proferant, quid faciant: ſum, quid prius, quidvè poſterius. &, quæ licere, ac Chriſtianæ pietati, & religioni non eſſe contraria comperiet, permittet; quæ vero impia, profana, ac nefaria, & Chriſtianæ religioni contraria inueniet, prohibeat omnino, ac tollat, oportet. quin etiam omnes ſuperſti-

Secunda ſecundæ. q. 96. art. 4.

ſuperſtitiones, obſeruationes, faſcinationes, ac magicas [a] artes, ac cautiones tollendas, ac è Chriſti fidelium mentibus, pectoribuſque eradicandas penitus, & eijciendas curabit: & , ſi quos ijs deditos reperiet, caſtiget inflicta pœna, quæ à Canonicis [b] ſanctionibus contra huiuſmodi delinquentes conſtituta eſt.

a 26.q.5. per tot.quæ.
b c 1. de ſortil. leg. cum leg. per totam.

## *Quomodo ſint Quæſtorum abuſus viſitandi & tollendi. Cap. XVIII.*

QVONIAM autem inter cætera, quæ à Viſitatore præſtanda ſunt, abuſus tollere haud minimum eſt cenſendum, & eos præſertim, qui tanquam Eccleſiæ Dei pernicioſi iam ſublati ſunt: propterea Viſitator Quæſtores eleemoſynarios, ſiuæ quæſtuarios diligentes examinabit, ac interrogabit, quas facultates, priuilegia ue habeant, quæ etiam ab ijs exhibenda curabit, perquiretque, an illa excedant, ac magis, quam conceſſum eis ſit, extendant: ac reliquos abuſus, qui ab huius generis hominibus committi ſolent, diligentius conſiderabit. ſi quos autem abuſus, ſi quos ve errores deprehenderit, eos iuxta Canonicas [c] ſanctiones, ac ſacri Concilij Tridentini [d] decreta, debita inflicta pœna, coercebit, ac puniendos curabit. Sed fortaſſe de his longius diſſerere ſuperfluum cenſeri poterit, cum huiuſmodi quæſtuariorum nomen, ne dum officium, ac vſus, iam ſublatum fuerit à Sancta Tridentina [e] Synodo, a qua etiam methodus præſcribitur, quæ in publicandis indulgentijs, ac aliis ſpiritualibus gratijs locorum Ordinarij uti debeant. Huiuſmodi ergo methodus, an diligenter, fideliterq. obſeruetur, videat Viſitator oportet: ut omnes noſcant, cæleſtes Eccleſię Theſauros non ad queſtum, ſed ad pietatem exerceri debere.

c c. tua nos, os priuil. & clemen. abuſionibus de pæn. & remiſſ.
d c. 2. de ref. ſeſſ. 5. conſeſſ. 21. c. 9.
e Seſſ. 21. ca. 9. de refor.

Quibus

## *Quibus rebus potiſſimum, quibus ve exercitationibus Viſitator vacare poſſit, ac debeat, dum Eccleſiam, ac diœceſim ſuam viſitat.*
## *Cap. XIX.*

PASTORALIS officij, ac dignitatis ſollicitudo poſtulare videtur, vt nihil vllo vnquam tempore prætermittāt Paſtores, quod ad ouium ſibi commiſſarum ſalutem ſpectare videatur. Et quoniam non vnico oues inficiuntur morbo, plura etiam ſunt adhibenda medicamina, vt, quod deuium eſt in caulam Domini reducatur; quod frigidum eſt, foueatur; diſſolutum conſolidetur, ac miſſum, perditumque recuperetur.

a Ezech. c. 33

Hinc eſt, quòd Viſitator, dum ſuam Diœceſim inuiſit, non vnico debet eſſe contentus munere obeundo, ſed, præter ea, quę ſuperius adnotauimus, reliqua etiam ſalutaria ſtudia Paſtorali officio, ac viſitationis perfectioni annexa, id quod Doctores, [b] & ij quidem grauiſſimi teſtati ſunt, exequi debet, ac tenetur. In quorum numero ſacri Chriſmatis, ſiue Confirmationis collatio eſt, cuius miniſter eſt ſolus Epiſcopus, [c] propterea in quamcunque ciuitatem, oppidum, ſiue locum Epiſcopus viſitaturus ſe confert, ibi miniſtrando ſancto Confirmationis Sacramento vacare [d] debet. Quòd ſi commode fieri poterit, ſemper ante prandium ieiunis omnibus, id eſt tam ipſo, quàm vngendis, & confirmandis, Sacramentum hoc miniſtrare ſataget: omneſque vngendos hortabitur, vt prius peccata ſua Deo humiliter, ac piè confiteantur. Statuet etiam, vt ſingulos confirmandos ſinguli ſuſcipiant, ac alias omnes ſollemnes cærimonias, ac ritus obſeruabit, quæ in Pontificali habentur, & de quibus Theolog. diſtinct. p. l. 4. latius diſſerunt. Curabit etiam per Parochum in libello ad id potiſſimum confecto, tam eorum, qui ſacro Confirmationis charactere inſigniti fuerint, quàm illorum, qui eos ſuſceperunt, nomina, & cognomina diligenter adnotari, eodem ordine, quo de baptizatis, & eos ſuſcipientibus ſupra diximus; vt, ſi quando inter eos matrimonium contrahi

b Gloſ. & Ioſ. Andr. in cap. Romana de cenſ. & in ca. Inter cæt. de off. c. ord.
c c. presbyteri de cōſ. diſt. 4.
d cap. manus & ſequen. de cenſ. diſt. 5. & cap. vnico de ſanct. vnct.
e c. vt ieiuni. c. vt Epiſcopi de conſ. diſt. 5.

trahi contingeret, impedimentum illud cognationis ſpiritualis ſciri poſſit. Debet præterea Epiſcopus viſitans eccleſias, altaria, ac reliqua pia loca Deo dicata conſecrare, ac (ſi opus fuerit) Deo ſe per ſanctum Confeſſionis Sacramentũ reconciliare, vt ſacri Canones [a] docent. Debet etiam calices, corporalia, Eccleſiæ paramenta, ac reliqua Diuino cultui neceſſaria benedicere. Quin etiam ordines conferre poterit, primam quidem Tonſuram ſingulis diebus; Minores vero Ordines diebus Dominicis, ac feſtis; ſed reliquos ſacros ordines temporibus tantum ab Eccleſia ſtatutis: ita tamen ſacrarum Sanctionum [b] decreto ſancitum eſt.

Inſuper debet ſubditis ſuis ius dicere, varias querelas, delationeſque, ac alias cauſas, tam ciuiles, quam criminales, inter eos decidendo; vt Sacrorum [c] Canonum auctoritate confirmatum eſt. Præterea, in quamcunque ciuitatem, oppidum, ſiue locum peruenerit, ſciſcitari debet diligenter, an ibi inter ciues inimicitiæ, rixæ, diſſenſiones ve, ſiue factiones vigeant, omneſque, quantum in ſe erit, ad pacem, concordiamque perducere conabitur: ad quod pręſtandum Canonicis [d] ſanctionibus tenetur. Poſtremo, perquiret, qui nam in ea ciuitate, populo ve ſint pauperes alienæ opis indigentes; vt exempli gratia, viduæ, orphani, & his ſimiles: quibus omnibus qua ratione ſuis neceſſitatibus ſubueniatur, prouidebit, & eleemoſynas diſtribuet; prout ei per ſuas facultates licebit; ne per inopiam aliquid cogantur committere, quod vel Deum Opt. Max. offendat, vel proximum lædat. Quod etiam eo libentius facere debet Viſitator, vt ſacris Summorum Pontificum [e] Conſtitutionibus pareat, quorum virtute id præſtare tenetur, ac bene de pauperibus, tanquam communis omium parens, mereri.

a De conſ. eccleſiæ & alt. per totum, & c. 1. de relig. domibus.

b Diſt. 75. per totum & de tempor. ord. per totum.

c c. inter cætera, & cap. frequenter de offic. ord. c. cũ Epiſc. eod. tit. lib. 6.

d c. ſtudendũ & c. placuit, & c. præcepimus. 11. diſt. & c. 1. de tregua & pace in fine.

d c. frarrem noſtrum, & c. non ſatis, & c. eſt probãda 86 diſt. & c. Apoſtolicis viris, & & quicquid. 16. q. 1.

Quos

## *Quos ordines, quas ve Conſtitutiones Viſitator relinquere debet, vt, quæ de defectuum correctionibus ſtatuerit, debitæ executioni demandenturi Cap. XX.*

SOLENT medici, cum infirmum aliquem inuiſunt, non ſolum id ſibi proponere, vt morbi illius cauſas tollant, ac ægrotantem liberent, ſed etiam nonnulla remedia adhibere conſueuerunt, quibus eum ab omnibus in poſterum morbis præſeruent. Hos igitur Epiſcopus, ſiue Viſitator imitatus, poſtquam totam Diœceſis viſitationem eo ordine, quo docuimus, confecerit, ac omnes errores, defectuſque in actis Viſitationis adnotauerit, ne huiuſmodi errores in poſterum quo vis modo committantur, prouideat, oportet. Poſtquam igitur rationes omnes, ac computa percurrerit, ac diligenter examinauerit, ac reliqua omnia diligentius conſiderauerit, quæ reformatione, ac emendatione indigere videbuntur, edicta contra delinquentes omnes, facta prius ijs Canonica monitione, publicanda curabit. qua in re poterit ea methodo vti, quam ſupra tradidimus, cum de edictis proponendis, tam in viſitatione Eccleſiæ, & cappellarum, quàm perſonali tractaremus. poſſunt enim ea omnia, & diœceſis viſitationi accommodari. niſi malit eo ordine ea proponere, quo hic infra ſunt digeſta Nos enim nullum alium finem nobis propoſuimus, non alium ſcopum ſpectauimus in toto hoc noſtro opere, quam Viſitatori, ac ijs, qui viſitari debent, prodeſſe. Poterit ergo Viſitator vel hunc ordinem ſequi, quem hic præſcribimus, vel alium, quem in priori parte tradimus, pro vt magis ei expedire videbitur, ac Eccleſiæ, bonorumque eius vtilitati magis conducere: vt, quæ ſtatuet, poſt diſceſſum ſuum inuiolabiliter obſeruentur, ac debitæ executioni, terminis præfixis, demandentur.

Primo igitur mandatum generale decernet, ac publice proponet contra debitores Eccleſiæ, ijſque omnibus, & ſingulis mandabit, vt intra nouem dierum ſpatium, quicquid Eccleſiæ tenentur, cum effectu perſoluiſſe debeant œconomis, ſiue priori, exactori ve illius Eccleſię

quod

quòd ſi, eo termino elapſo, contumaces fuerint, & parere recuſauerint, ſtatuet, vt Diuinis officijs intereſſe euſque prohibeantur, donec edicto paruerint, ac plenè ſatisfecerint.

Poſtea mandabit Priori, ſiue œconomo, Theſaurariove, vel alteri, cui id onus incumbit, vt ędificium N. vel fornicem, tectumve, aut murum reſtauratione indigentem, vel minantem ruinam, intra certum aliquod temporis ſpatium reparandum, reſarciendumve, aut de nouo faciendum curet, vel aliquos libros, ornamentave, vel aliquod aliud neceſſarium; quod deſit, emere teneatur, aliqua propoſita pœna, niſi paruerit, quam vel Eccleſiæ ędificio, vel Epiſcopali Palatio, vel alicui alteri pio operi applicabit.

Mandatum inſuper contra beneficiatos, ac cappellanos perpetuos proponet, cuius virtute teneantur intra certum aliquod temporis ſpatium domos, & prædia, quę ad ſua beneficia ſpectant, reſtaurare, ſi quę fuerint, quę reſtitutione indigere Viſitatori viſa fuerint. Quòd ſi parere recuſauerint, eo termino elapſo eorum fructus beneficiorum, cui domus illæ vel prędia annexa ſunt, ſequeſtrari mandabit, donec tanta ex illorum redditibus comparata fuerit pecunia, vt huiuſmodi reparationi ſufficere poſſit.

Decernet etiam multa alia his ſimilia edicta, prout neceſſarium videbitur pro illorum emendatione defectuum, quos in Viſitatione repererit. Verùm omnibus, quibus, dum ibi prę ſens eſt, poteſt oportuna remedia adhibere, curabit adhibenda, ac debitę executioni omnia demandanda. Nam ex ijs, quę animaduertere, ac diligenter conſiderare debet Viſitator, illud potiſſimum eſt, vt omni ſuo conatu, omnibus viribus ſuis ſtudeat, coneturque pauciſſima, quoad eius fieri poterit, decreta executioni demandanda relinquere; ſed omnia, ſi fieri poterit, per ſe, dum ibi prę ſens eſt, exequatur: ſatis enim ipſa experientia docet, huiuſmodi tranſgreſſionem, ac contemptum mandatorum, malos, ac damnoſos ſubditorum animis laqueos inijcere, vt Ioannes Gerſon teſtatum reliquit. 2. parte tractatus, ſiue ſermoni, de vit. clericorum.

Deinde, cùm diſcedendum erit, & ad inuiſenda alia loca ſuę Diœceſis peragendum, mandabit, vt proximo die Dominico decreta, & quęcunque alia in illa Viſitatione actitata fuerint, (viſitatione perſonali excepta) omnia publicè inter Miſſarum ſollemnia, cùm populus frequens ad audienda ſacra conuenire ſolet, alta voce legantur, vt ab omnibus percipi queat, ne quiſquam ignorantię excuſationem prę ſeferre poſſit; impoſita pœna, ni paruerint.

Et, quoniam nihil tam ſalutare, ac neceſſarium in Eccleſia Dei, cùm ad Diuinum cultum, tum ad animarum ſalutem, quàm, vt omnes Chriſtianę fidei prę ceptis inſtruãtur, præcipuè vero pueri: nam, quo ſemel eſt

imbuta recens, ſeruabit odorē teſta diu. Propterea mandabit Viſitator Parochis, vt ſingulis diebus feſtis, facto prius campanæ ſigno, vel inter Miſſarum ſollemnia ſtatuto tempore, omnes, & præcipuè pueros ad Eccleſiā frequenter conuenire ſatagant à prādio, ibiq; eos Chriſtianę fidei præceptis imbuant, vt, quid faciendū, quid vè vitandum, omnes nouerint, quo & nomine, & re ipſa Chriſtiani eſſe cenſeantur: idque inuiolabiliter ſeruari mandet, ac imperet, conuenienti negligentibus, ac contumacibus propoſita pœna, ni paruerint.

Animaduertendum tamen interim eſt in fine Viſitationis, vbi omnia, quæcunque vel decreuerit, vel ordinauerit Viſitator, in actis Viſitationis redacta fuerint, tam ab ipſomet Viſitatore, quàm à Notario ſubſcribendum eſſe illis eo ſtylo, quo Notarij vti ſolent in omnibus alijs publicis ſcripturis.

a Idē ſupra ead p. prima c.3. circa fin. Placeret [a] & illud quoque, vt ad tollendas errorum cauſas mandaret Viſitator, expenſas omnes, quæ ipſo Viſitationi illi inſiſtente factæ fuerunt, per Notarium ſeparatim adnotarentur, ac illis ipſemet Viſitator vnà cum eodem Notario ſubſcriberet.

Tandemque, antequam diſcedat, populo illi ſollemniter benedicet, ac, conuocata concione, multa illis monita ſalutaria, tanquam bonus parens, relinquet, hortabiturque, vt à malo declinent, & faciant bonum, operibus ſe Miſericordiæ tàm ſpiritualibus, quàm corporalibus exerceant, ſed præcipue pauperes omnes, viduas, pupillos, ac orphanos commendatos habeant, nec à quopiam opprimi patiantur; ſed illis ſemper opibus auxilio, ac conſilio præſto ſint; memores ſententiæ illius Domini Saluatoris noſtri, quam in fine mundi, iudex viuorum, ac

b Matth. c. 25 mortuorum, prolaturus eſt: Quod vni ex minimis meis feciſtis [b]. Et, vt alacriores ad huiuſmodi opera exercenda reddantur, docebit, quanta illos merces maneat, ſi ſic agendo perſeuerauerint. nam & bonis corporis, ac fortunæ, dum viuent, cumulabuntur; &, poſtquam vita functi fuerint, æterna fœlicitate, in cælis donabuntur: quæ adeo humani intel-

c Paulus Apoſtolus. 1. ad Corin. c. 2. Iſai. c. 64. lectus captum excedit, vt merito de ea ſcriptum ſit, Non [c] oculum vidiſſe, nec aurem audiuiſſe, nec in cor hominis aſcendiſſe, quæ pręparauerit Deus diligentibus ſe.

Sed iam vela colligamus, ac immenſum hoc Viſitationis pelagus emenſi, ac optatum iam portum tenentes, vota Deo opt. max. ſoluamus, quòd incolumes nos ad optatum finem perduxerit, quòd os, & ſapientiam tribuerit; vt ſecundum tenuitatis noſtræ modum cæteris prodeſſe poſſemus. Nullum enim aliud noſtrum in hoc opere fuit inſtitutum, nullos alios finis, quàm, vt quamplurimorum vtilitati conſuleremus. Hos igitur noſtros labores quicunque leget, ſiue Epiſcopus is erit, ſiue Clericus, boni, æquique vt conſulat, oramus, nec de-

trahat,

trahat, priuſquam omnia diligentiori examine ſcrutatus fuerit. Si quid autem boni legendo repererit, ſi quid inde vtilitatis perceperit, id omne Deo Opt. Max. bonorum omnium auctori, ac gratiarum vberrimo fonti tribuendum ſciat. non enim ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt. Quæcunque vero aut non concinne diſpoſita, aut non bene dicta compererit, ea omnia ingenij noſtri tenuitati adſcribat: qui tamen eò minus reprehendendi erimus, quòd, Epiſcoporum, qui nunquam alias Paſtorali munere functi ſunt, & omnium, qui viſitandi erunt, vtilitati ſtudentes, vela ſoluimus, ac procelloſum hoc pelagus, tantis laboribus, ſudoribus, ac vigilijs emenſi ſumus, ſperantes vos gratiam potius ab ijs inituros eſſe, quam à quopiam reprehenſum iri hanc noſtram diligentiam. Nos verò, quæcunque diximus, Sanctæ Matris Eccleſiæ iudicio ſubijcimus: à cuius ſententia, ac Sanctorum Patrum placitis, nos ne latum quidem vnguem, vllo vnquam tempore recedere voluiſſe, velleve, in poſterum teſtamur. Ac de omnibus Omnipotenti Deo, qui trinus, & vnus eſt adorandus, ac Beatiſſimę Dei Genitrici, Virginique Marię, ac S.Richardo, primo noſtræ Eccleſię, ciuitatiſque Andrienſis Epiſcopo, atq; Patrono, gratiæ referantur. Amen.

*FINIS.*

# INDEX TITVLORVM DIRECTORII

## PARS PRIMA.

VIſitationis onus, cui potiſſimum incumbat, quantumque eius auctoritas extendatur, ac facultas, & quanto temporis interuallo ſit innouanda cap. 1. fol. 1.

Quomodo ſit publicanda Viſitatio, vt ſubditi ſe ad recipiendam præparare poſſint, tum inibi de generali edicto ab Epiſcopo proponendo, & explicando, cap. 2. 4

Quid dandum, quidue poſtulandum ſit pro Viſitatoris victu. cap. 3. 7

Viſitatio Cathedralis Eccleſiæ quomodo Prælatus Viſitationis principium inire debeat, & quid tam ab ipſo, quam ab ijs, qui viſitandi ſunt præſtandum prima vice, cap. 4. 2

Electio Collegarum, vel Conſumptorum, & aliorum officialium in Viſitatione. cap. 5 12

Vocatio Presbyterorum. c. 6. 14

Monitiones generales, quæ præmitti, & publicari debent in Viſitatione generali. ca. 7. 15

Abſolutio pro animabus Defunctorum. cap 8. 22

Viſitatio Sanctiſſimi Sacramenti. cap 9. 22

Quomodo in Eccleſia adminiſtratur Sanctiſſimum Sacramentum. cap. 10. 25

Cum ad infirmos defertur cap. 11. 26

Cum proceſſionaliter defertur in ſollemnitate Sanctiſſimi Corporis Chriſti. cap. 12. 28

Viſitatio Sacrorum Oleorum. ca. 13. 29

In Parochijs extra Cathedralem ſic interroget Parochos. cap. 14. 30

Confirmationis Sacramenti miniſtratio, & Viſitatio cap. 15. 31

Viſitatio Fontis Baptiſmalis cap. 16. 32

Aquæ Baptiſmatis Viſitatio cap. 17. 33

Reliquiarum Sanctorum Viſitatio cap. 18. 35

Viſita-

Viſitatio Altaris Maioris.cap. 19. fol. 37
Viſitatio Iconæ Altaris maioris. cap.20. 39
Tribuna Eccleſiæ.cap.21. 40
Lampades ante Altare Maius.ca. 22. 40
Scabella ad vſum orandi cap. 23. fol. 41
Sedes Pontificalis. cap. 24. 41
Viſitatio Cappellarum,& Altarium ipſius Eccleſiæ. cap. 25. fol. 42
Tectum Eccleſiæ cap.26. 45
Muri Eccleſiæ.cap.27. 45
Feneſtræ Eccleſię.cap.28. 46
Crucifixus.cap.29. 46
Organum cap 30. 46
Suggeſtum.cap.31. 47
Chorus,cap.32. 47
Pulpita in Choro, ſeu lectorilia. cap.33. 48
Portæ Eccleſiæ.cap.34. 49
Fontes aquæ benedictæ ad vſum aſpergendi. cap.35. 49
Confeſſionalia. cap.36. 50
Pauimentum Eccleſiæ.ca.37. 50
Sepulcra.cap.38. 51
Feretrum cap.39. 51
Cæmeterium cap.40. 51
Porticus Eccleſiæ.cap.41. 52
Campanile. cap.42. 52
Circa alias Eccleſias viſitandas poſt Cathedralem. cap.43. 53
Iuris patronatus vnio, & Viſitatio cap. 44. 54
Prohibenda in Eccleſijs. cap. 45. fol. 55
Prohibenda in porticibus,& grabus Eccleſiæ.cap. 46. 56
Viſitatio Sacriſtiæ.cap.47. 56
Inuentario delle Reliquie de' ſanti, & argentarie, che ſi conſeruano nella Sacriſtia della Chieſa Cathedrale d'Andria, fatto dalli R R. Archidiacono, Capitolo, e Sacriſtani di eſſa. cap. 48. 57
Archiuium Scripturarum quomodo viſitandum.cap.49. 61
Libri qui in Sacriſtia ſeruari debēt quos videat, ac viſitet. cap.50. fol. 62
Libri impræſſi pro communi omnium neceſſitate ibidem in Sacriſtia ſeruandi.cap.51. 63
Alia ſupellex Sacriſtiæ neceſſaria. cap.52. 63
Viſitatio Tabellarum, quæ in Sacriſtia Eccleſiarum Cathedraliū, & inſignium pendere debent.c. 53. 64
Habitatio Sacriſtarum. cap. 54. fol. 65
Viſitatio Capituli, & Collegij cap.55. 66
Capituli Congregatio. cap. 56 fol. 56. 69
Canonicatus, & Præbendæ ca. 57 fol. 70
Locationes. cap. 58. 71
Lectiones Sacræ.cap.59. 73
Diuina Officia in Choro.cap.60. fol. 74
Miſſæ Conuentuales, & Priuatæ. cap.61. 74
Quomodo verſandum ſit in Choro.cap.62. 75
Diſtributiones.cap.63. 76
Punctatores, & qui abſentes, ſeu errantes notent.cap.64. 77
Cærimoniarum magiſter, ſiue

Præfe-

Præfectus, & Cærimoniæ cap. 65. 78
Diaconi, & Subdiaconi cap. 66. fol. 78
Proceſſiones cap. 67. 80
Cantores in Cappellam Muſicis c. 68. 81
Cappellani, & Sacerdotes. cap. 69. 82
Viſitatio Clericorum. cap. 70. 84
Decretorum Viſitationis generalis, & decretorum generalium publicatio. cap. 71. 85
Decreta generalia in prædicta generali Viſitatione Cathedralis Eccleſię prolata. cap. 72. 86.
Inſtrumentum publicationis decretorum. cap. 73. 92
Viſitatio perſonarum. cap. 74. 92
Archidiaconi perſonalis Viſitatio cap. 75. 93
Archipresbyteri, ſeu Parochi perſonalis Viſitatio. cap. 76. 95
Viſitatio Primicerij, vel Cantoris cap. 77. 104
Viſitatio Sacriſtæ, ſeu Cuſtodis ſacrorum cap 78. 105
Viſitatio perſonalis Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Clericorum remiſſiue. cap. 79. fol. 107
Decreta Viſitationis Eccleſiarum & Cappellarum quomodo publicanda cap. 80. 109
Decreta perſonalis Viſitationis. cap. 81. 109
Viſitatio orationis Quadraginta horarum. cap. 82. 111
Regulæ quomodo fieri debet oratio Quadraginta horarum, & quare ſub hoc numero cap. 83. fol. 113
Circa Laicos quo modo procedẽdum remiſſiue. cap. 84. 114
Quę pertinent ad mores Populi corrigendos. cap. 85. 115
Viſitatio cum examine pro approbandis Confeſſoribus. cap. 86. fol. 116
Viſitatio cum examine pro approbandis Prædicatoribus. cap. 87. 119
Viſitatio quorumcumque Regularium. cap. 88. 121
*Monaſterij ſeu Conuentus Viſitatio. cap. 1.* 123
*Dormitorium cap. 2.* 124
*Bibliotheca. cap. 3.* 124
*Infirmaria. cap. 4.* 125
*Hoſpitium. cap. 5.* 125
*Veſtiarium, ſiue Communitas. cap. 6. fol.* 126
*Refectorium. c. 7.* 126
*Coquina. cap. 8.* 127
*Cellarium ſiue penuarium, & Horreum. cap. 8.* 127
*Deinde viſitet omnia loca Monaſterij, & videat ipſemet omnia ſigillatim. cap. 10.* 128
*Viſitatio particularis cuiuſcunque. cap. 11.* 128
Viſitatio Monaſterij Sanctimonialium. cap 89. 133
Ordinationi, & Conſtitutioni da Monache cap. 90. 140
*Dell'Officio Diuino cap. 1.* 140
*Della Confeſſione, & Communione. cap. 2.* 141
*Dell'officio, & auttorità dell'Abbadeſſa. cap. 3.* 142
*Della Vicaria. cap. 4.* 143
*Delle Diſcrete cap. 5.* 144

*Delle*

*Delle Portinaiè. & Rotaie. cap. 6. fol.* 145
*Della vita commune, e pouertà. cap. 7.* 146
*Del modo equale de' Veſtimenti. cap. 8.* 147
*Delle ſpoglie delle Suore defonte. ca. 9.* 148
*Dell'obedientia. cap. 10.* 148
*Della Clauſura. cap. 11.* 149
*Del riceuere delli preſenti. cap. 12. fol.* 151
*Del ſcriuere, e riceuer le lettere. cap. 13.* 152
*Delle Crati, & Ruote. cap. 14.* 152
*Del Refettorio. cap. 15.* 153
*Del riceuere, & ſpendere l'entrate del Monaſterio cap. 16.* 154
*Del riceuere le Nouitie. cap. 17. fol.* 155
*Del numero delle Suore. ca. 18.* 156
*Di non ri uelare i difetti del Monaſtero fuora, e l'imperfettioni delle Suore. cap. 19.* 156
*De' tempi, quando queſti noſtri Statuti, & ordinationi ſi deuono leggere. cap. 20.* 157
Aliæ Conſtitutiones, & Ordinationes. cap. 91. 157
*De Confeſſione Monialium. cap. 1. fol.* 158
*De acceptandis Monialibus. cap. 2. fol.* 159
*De litteris & Munuſculis nō mittendis neque recipiendis. cap. 3.* 161
Viſitatio Eccleſiarum, & Cappellarum intus, & extra Ciuitatem. cap. 92. 165
De xenodochiorum, ſiue hoſpitalium Viſitatione. cap 93. 156
Viſitatio Confraternitatum Scholarum, & Societatum. cap. 94. fol. 168
Viſitatio Seminarij, ac Congregationis adoleſcentium. cap. 95. fol. 170
Viſitatio Montis Pietatis. cap. 96. fol. 173

# INDEX
# PARTIS SECVNDAE DIRECTORII.


Viſitator aduentum ſuũ in vnam quãq; Ciuitatem, oppidum, ac alium locum ſuæ Diœceſis, quo ſe confert, prius indicare debet; idq; qua ratione ſit præſtandum. Cap. 1. 179

Quomodo Prælatus, ſiue Viſitator, cum ad viſitandum venerit, ſit recipiendus prima vice. cap. 2. 181

Quando, cum aliquo Viſitator iã peruenerit, Eccleſiæ viſitationem, debeat incipere: tùmde Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti Viſitatione. cap. 3. 184

Qua methodo vtendum ſit in peragenda generali perſonarum Viſitatione in Diœceſi. cap. 4. 186

Viſitatio Prædiorum, fabricæ, ac Cenſus Eccleſiæ. cap 5. 187

Quomodo Miniſtri adminiſtrãtes Cenſus Eccleſiæ rationem redẽtes ſint audiendi. cap. 6. 188

Viſitatio Beneficiorum, ac Prędiorum Eccleſię. cap 7. 191

Viſitatio Cappellarum, quibus cẽſus in Eccleſia eſt conſtitutus, in alia breuiori forma. cap. 8. 193

Viſitatio generalis, & particularis, ſiue perſonalis Clericorum. cap. 9. 194

Viſitatio particularis ſęcularium perſonarum. cap. 10. 199

Quomodo delationes, denunciationesve audiendæ, deſcribendęque ſint. cap. 11. 200

Quomodo inquirere debeat Viſitator ac procedere in condemnationibus criminum, ac vitiorum publicorum ſibi factis. cap. 12. 203

Quomodo cum delinquentibus, ſi contumaces, & rebelles fuerint, circa peccata publica ſit agendum. cap. 13. 204

Quomodo in iis, quæ publica crimina concernunt, cõtra Laicos ſit agendum, ſi citati non comparuerint. cap. 14. 205

Quo caſu Viſitator contra reum

delatum ordine iudiciario vti debet. cap.15. 206
Quomodo ſit proceden. in quibuſdam caſibus, qui frequentius in Viſitatione ſolent occurrere. cap.16. 208
Quomodo Obſtetrices, ac ij, qui verbis, ac carminibus medentur, ſint viſitandi, cap.17. 211
Quomodo ſint Quęſtorum abuſus viſitandi, & tollendi. cap.18. 213
Quibus rebus potiſſimum, quibusve exercitationibus Viſitator vacare poſſit, ac debeat, dum Eccleſiam, ac Diœceſim ſuam viſitat. cap.19. 214
Quos ordines, quaſve Conſtitutiones Viſitator relinquere debet, vt, quę de defectuum correctionibus ſtatuerit, debitæ executioni demandetur. cap.20. 216
Examē pro approbādis Parochis videns Cap.86. Part.1
Pro aprobandis promouendis ad ſacros & minores ordines, videas Cap.66. 69. & 70. Part.1.

## ERRATA SIC CORRIGE.

Fol.9.linea 25. excæcant. 28.8. An cum. 31.3.ſemper. 37.10. ad prædictam Eccleſiam. 47.in penult.lin.ſit. 48.lectorilia. eod.22.tantum 75.30 promotionis. 88.17.admoneantur. 89.31. in Viſitatione. 96 30.an. 100.10.ſpiritualis. 102.6. ſuſpectæ. 110.9.peremptorie. eod.fin.præſentibus. 113.5.imprimis. 124.9.ſcandalum. 132.19.bona. 144.6.voti ſecreti. 163.30.notet. 168.penult.omnes. 169. 33.dent. 170.27 peripectæ. 173.8.monti. 179.22. Dei. 182.17. comitantibus. 187 in Rubrica. Prædiorum. 188.fin.vltima. incumbit. 189.11.tertio. eod.35.nouum. 190.fin. comprobauerit. 201.8.vitam. eod.14.eò. eod.33.inſectari. 202.2.ſi verò. eod.30.potionem.204.6.addet. eod.20.inuigilare. 204.27.perniciius. 205.1.enim. 209.10.&. 210.1.ac. 216.in rubrica.quæ ibidē, demandentur.

*FINIS.*

# REGISTRVM.

** ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff.

Omnia ſunt folia integra, præter Fſ, ſemifolium.




ROMÆ,

Apud Gulielmum Faciottum. M D XCIII.

Pro Pastoris nō admittendi Regulares —— 88.
Parochi invicem se visitent in infirmitate —— 103.
Arma et Libri nō accipiantur pro pignore · 177.
Hec etiam habentur in Synodo Spoletana an:
1583. ~~[illegible]~~ pag: 187. et in
Synodo Lancerana an: 1626. pag: 50 =

162
D
2

YA1 1528498

Digitized by Google